TABULÆ GENEALOGICÆ GENTIS CARRETTENSIS ET...

Giovanni Domenico Brichieri Colombi

TABULÆ GENEALOGICÆ GENTIS CARRETTENSIS

ET

MARCHIONUM

SAVONÆ FINARII CLAVEXANÆ &c.

MANUDUCTIONEM

PRÆMISIT

TOTUMQUE OPUS ACCURAVIT

JOANNES BRICHERIUS COLUMBUS

PATRICIUS ET ORATOR FINARIENSIS.



VINDOBONÆ,

EX TYPOGRAPHIA KALIWODIANA

ANNO CIↃIↃCCXLI.

Is meruit veræ ſibi nobilitatis honorem,
Quem genus & genii nobilitavit honor.

Taubman. in Epigramm.

AD GENEALOGIAM
VETUSTISSIMÆ AC NOBILISSIMÆ
GENTIS CARRETTENSIS
MANUDUCTIO.

QUamquam præ ceteris Historiæ partibus, quæ Familiarum genesim respicit, difficillima sit, ubi præsertim a remotis seculis eandem auspicari instituti ratio exigat, nihilo tamen minus in re periculis & invidia plena, quamque calumniæ proclivius est, ac a me demonstrari possit, animus non frangitur, sed rebus ipsis, gestorumque veritate fretus, quæ gravissimi Auctores, & inexorabilia monumenta suppeditarunt, qualemcumque invidiam declinare confido.

Hæc itaque Gens inter Principes, Optimatesque Italiæ (a) nobilitate ac potentia sua diu eminuit; neque illius splendori quicquam obesse videtur, quod modo non fruatur amplius tot Statibus, quot eidem in antecessum paruerant, cum ob varias lineas, in quas dissecta propagataque est, tum ob illorum temporum caligines, quibus nondum satis innotuerant apud primores & nobiles Italos jura Primogeniturarum; sed jure Longobardorum Beneficia inter liberos indiscriminatim dividebantur, & dividerentur adhuc, nisi in feudis dignitatis, sive regalibus modum adinvenisset D. Fridericus I, Imperator sua constitutione. (b) Accessit ardua

(a) *Gruter. in Histor. Aug. n. 8 Sigon. de Regn. Ital. lib. XIV. col. 715 litt. e. edit. Mediolan. num. Oper. Tom. II fol.* (b) *Lib. II Feudor. Tit. LV. § 1 v. Praeterea.*

dua tunc rerum vicissitudo, motibus factionibusque perduellionum perturbata tota Italia, quæ tamen omnia aut splendorem, aut jura familiæ temerare non potuerunt.

Plures Scriptores, & Genealogi & olim, & ævo nostro hac de re scribere instituère; sed utinam veteres veram hujusce Gentis originem clare & distincte docuissent sepositis fabulis, aliisque ad complacentiam excogitatis commentis, quæ recentiores tantopere exercuerant, isti vero plus veritati indulsissent, quam ingenio, & genuinæ gloriæ cupiditate in hac sparta operam bene navatam putassent, ubi sine ardui laboris formidine, quæ falsa non sunt, argumentis tamen idoneis destituta tradebantur, supplere, validis testimoniis confirmare, explicare obscura & perplexa, singula demum, ut par est, illustrata proferre, potius quam cuncta impetere satagissent. Profecto confecissent rem maximam, propulsissentque gravissimorum hominum suspicionem, quod nempe testimoniorum auctoritatem religionemque parum coluerint in historiis Majores nostri; quodque in Genealogiis pleraque incerta, commentitia multa, nonnulla etiam ridicula obtruderint, unde etiamnum frequenti periculo edocti, & ea, in quibus illi veritati litarunt, recipere trepidamus, nisi rigido examine expensa subsistant. Hoc pacto otium mihi factum esse credidissem, neque subirem, quam forte contraham invidiam clarissimorum Auctorum, quibus etsi hæc Gens illustrissima porro & semper visa sit, in ancipiti tamen pendere illius originem credi voluerunt. Quod quamquam decoris speciem præ se ferat, & æmuletur rerum conspicuarum, veluti Urbium nobilitatem; (a) in splendore tamen certo Familiæ, imperiali regioque sanguine propagatæ, admitti nec potuit nec debuit.

Unus fuit Samuel Guichenonus, qui facilem viam huic Genealogiæ sternere paraverat, dum Regiæ Sabaudiæ Gentis origines scrutabatur. Hæsit tamen, si clarissimorum hominum crisim attendas, neque eluxit, qua ratione Beroldum aut Bertoldum Comitem Moriennæ, qui floruit anno 1014. derivaret; & per consequens qua ratione Alerami propago cum Sabaudica Domo connecteretur. (b) Guichenoni caussam agere alienum esset a meo proposito; argumenta tamen, quibus ille usus est, ubi e re mea esse sensero, instruam & corroborabo; nova etiam adducam, ne ad legitimam, legalemque probationem quicquam deesse videatur.

Potissima difficultas in seculis X. & XI. versatur, quorum, ut erat illorum temporum scabies, historiæ & monumenta in rebus Italicis deficiunt, dum omnia bellis & ruinis vastabantur. (c) Cognominum usus, qui obsoleverat, necdum restitutus, (d) & ipse multum obfuit; adeo ut frustra exigas a quocumque certam comprobatamque testimoniis omni, ut ajunt, exceptione majoribus historiam restitui. Quod tamen eruditio-

(a) *Theodor. Hoping. Tract. de Jur. Insign. Cap. VI. P. V. n. 623. clariss. Murator. Antichità Estens. P. I. in Ep. ad Lector. p. 15.* (b) *Idem in Antichità Estens. in præfat. p. 12.* (c) *Idem ignorat. & dissert. Murator. cit. loc. Cap. XXII. p. 205.* (d) *Vid. Petr. Giannon. Dell' Istor. Civil. del Regno di Nap. Lib. VIII. Cap. II. n. 1. p. 487. Murator. cit. Cap. XXVI. p. 251.*

ditiores emunctæ naris magni census nomine reputant, ubi aliquid lucis affulgeat, quod verisimiliori probabiliorique ratione regatur, a me præstitum iri fortasse non frustra polliceor; ita ut rectum cujusque judicium libenter ad assensum pertrahi se sentiat, & documentorum fideliter excerptis clausulis morem gerere; quæ imo diligenter indicabo ubi reperiantur, ne de illorum veritate & fide ambigi possit, prout aliis cordatioribus in hoc genere tractationis persæpe usuvenisse deprehendimus.

Hoc pacto negotium a me confici voluit vir ornatissimus juxta ac illustrissimus, Hieronymus e Marchionibus de Carretto de Balestrino, dum elaboratam a se messem hujusce inclytæ Genealogiæ, atque optime abundanterque in sua juventa præparatam, jam mihi senio confectus communicabat concredebatque, quo magis discussis quorundam molestis difficultatibus, clarior & facilior erudito orbi exhiberetur.

Principium orationis desumam ab Aleramo, sive Aledramo, Almarano, Alarano, & Alrano, variant enim hæc apud auctores: nos perpetuo eundem Aleramum vocabimus, de quo incerta vulgo reputantur omnia, si id unum excipias, ævo Divi Ottonis, Divi Henrici I vulgo nunc Aucupis filii, eundem inter Italiæ præcipuos Principes floruisse. Fuit hic Otto ex Imperatoribus Romano-Germanicis hujus nominis I. & a Carolo Magno XII. quod sane in seculum X incidit, ut proinde ætas Alerami eodem seculo figi jure meritoque videatur. Sed quo genere fuerit, qua originis patria, quando natus, quando mortuus, quibus vixerit moribus; unde, quando, & quomodo Comitis & Marchionis comparare titulis usus sit; qua sive quibus copulatis uxoribus, quot qualesque filios reliquerit & successores; demum a quo, seu a quibus feuda bonaque adquisiverit, æque ambiguum reputatur ac illud, num inde Carretensis gens, tanquam a fonte & radice derivetur.

Sic, inquam, vulgo reputatur; quorum tamen plurima mihi videntur satis explorata, nullamque recipere dubitationem, utcumque novissime a nonnullis Scriptoribus (a) in controversiam rapta sint. Et revera Aleramum Saxonico sanguine genitum quis mihi neget, posteaquam ab extrinseco, communi omnium temporum traditione, gentium omnium consensu ita comprobatum est, ut, si cetera deficerent, hæc satis esse crederentur. Minime congrueret, si fundamenta, quæ plurima hanc in rem extant, hoc loco prosequerer; & ea propter commodius infra expendenda reliqui.

Hoc itaque tanquam firmum certumque assumens, primam tabulam ex Elia Reusnero Leorino, Jenensi Professore desumptam (b) profero, qua Saxonicæ Gentis proavi enarrantur. Nec enim is sum, qui alieno labori invideam; imo libenter utimur, quoties occasio ferat, & vindicias lucemque Germano Scriptori, quem in Italicis quandoque rebus hæsisse non miramur, quantam potero fœnerari, sedulam operam dabo.

B Preci-

(a) *Murat. Antichità Estens. cit. Cap. XXVI. p. 260. Marchio Abbas Malaspina peculiar. Dissert. ad celeberrimum Saxium, cujus post Sigon. de Regn. Ital. & idem Saxius in not. ad Sigon. lib. VII col. 435. lit. A. n. 17.* (b) *Genealog. Reg. Elect. Duc. &c. Stemmat. Witichind. Lipsiæ 1610 fol.*

Præcipuum in hac tabula spectabimus Withikindum Magnum, cui regiam dignitatem perperam abjudicantem Petrum Giovanni auctorem novi, (a) & adversus Philibertum Pignonium, editorem Schematis Saxoniæ, & Sabaudiæ Ducum, ex Reusnero isto excerpti, contendere, Withikindum Magnum non fuisse Regem. Hoc amplius Pfeffingerus ad Vitriarium (b) falsimonii insimulat communem, quam sequimur sententiam, obtendirque Withikindum nequidem solis Westphalis inter Saxones regia auctoritate præfuisse. Adversus tamen ambos hosce Scriptores historiæ fides, & publica monumenta rem luculentissime testantur, Illustris Augustæ Vindelicorum inscriptio est, ante tempora Hieronymi Heningii, & Reusneri, in hæc verba concepta.

OTTO III.
S. ROM. IMPER. AUGUSTO
EX GENTE WITHIKINDI MAGNI SAXONUM REGIS.
QUI OTTO
DIEM SUUM OBIIT X. KALEND. FEBRUARII
ANNO SALUTIS MII.
MONUMENTUM FIERI CURAVIT
FRIDERICUS III.
ELECTOR SAXONICUS. IMPERII LOCUMTENENS
ANNO MDXIII. V. IDUS MAJI.

Cum hac inscriptione vetusti Annales consentiunt. Nam utique Germani in universum Reges habuere, si eosdem Taciti tempore ex nobilitate creabant. (c) Nec minus de Saxonibus evidentior res est, quia apud Suevos, sociosque Fosos, quos Cluerius & Cellarius (d) modernos Saxones fuisse solidis argumentis demonstrarunt, regiam auctoritatem Moroboduus sub Augusto invexit. (e) Invisum quidem popularibus, inauditumque regium nomen, in diversa studia Cheruscos, Fosos, aliosque pertraxit, & Romanos sibi adesse deprecantibus Suevis, occasionem præbuit Varianæ cladi, qua præstantissimus Dux excelluit Arminius. Tunc exacto Morobodno, liberam utique externis dominiis habuere provinciam, ipsum tamen Arminium proprio marte & jure Saxoniam & Westphaliam tenuisse, nostra noto domestici Auctores agnoverunt. (f) Mansit & diu post hic status, ita tamen ut Reges precario jure regnandi, & auctoritate suadendi, non jubendi potestate præstiterint, (g) usque adeo ut

(a) In oper cui tit Germaniæ Principes (b) Vitr. Jur Publ. lib. I. Tit XVI cap I Duces Saxoniæ (c) De Morib. Germ [illegible] (d) Geograph Antiq Lib. II cap. V Sect. II n LIX add Kirchmayer ad Tacit de Morib Germaniæ cap XXXVI n 5 quos omnes apparat Paulo Hachenbergius in Germ Med ad N 1 § 2 recus in 4to 1687 (e) Tacit Annal. lib. II cap. XLIV & ib. Lipsius in not n 6 ubi elegantissime ex Strabone (f) Knichen Encyclop. cap I n 154 & sane locus est Taciti, quem velim videas ap Gabriel Bucelin in Chronolog Constantia ad Ann Christi XXIV (g) Ex Tacit de Morib. Germ cap. VII & cap XI. Grotius de Jur. B. & P. lib I cap III. § XX. n. I.

ut plerisque nec hujusmodi esse viderentur, unde modo liberos, modo sub Regibus egisse Germanos apud Auctores comperimus.

Hinc nosse facile est, quæ Perio Giovanni ceterisque dissentientibus fuerit errandi occasio: scilicet regiam potestatem, quam infinitam aut liberam concipiunt, in eo aristocratico potius Reipublicæ statu imaginari sibi non poterant. Sed regia dignitas hujusmodi non est, ut aliquando circumscribi non ferat, (a) quemadmodum Lacedæmones, Argivi, aliique plures jam facto docuerunt. (b) Itaque Germani, & inter hos præcipue Saxones habebant Reges, habebantque Duces militares; (c) & nihilominus in paeeparili dignitate pollebant omnes nobiles, & in publicis rebus tractandis isonomia ad Divi Caroli Magni Imperatoris epocham usque. Nulli apud Saxones tunc audiebantur ævi nostri Barones, Comites, Duces & hujusmodi; sicuti nec in tota Germania; (d) sed aut nobiliores nascebantur, iique erant *Adlingi Frilingi*, quasi liberos relictos dicas, proximum erat genus, infimum Colonorum, quos *Lazzos* vocabant. Hinc Adlingorum, & Edlingorum Saxonicorum, qui præcipue dignitatis erant Proceres, appellatio, unde reliqua Germanorum nobilitas ortum duxit. (e)

Ex his Adlingis unus extitit Luitgerus, vir fortis, (f) quem reliquis & nobilitate & virtute præstitisse intelligimus, siquidem nedum illum Regem renunciarunt Saxones, sed etiam occasione belli Ducem; quid quod Principem duodecim nobilissimorum virorum; isque, quantum ceteris superior agnitus est, tantumdem iis præfuit & præstitit. Variabant tunc res Saxonum; & ideo nunc patria profugus, mox tantisper clam redux, idem semper & sibi par, ad instaurandum in Francos bellum, rompendamque, quam metu dederant fidem, cives suos pelliciebat. At cum nulla res ex voto succederet, oblatam sibi veniam a Victore anno æræ vulgaris DCCLXXXV Divi Caroli Magni, ex quo regnare cœpit, XVII (g) non recusans, demeruit ablui lustrico fonte, suscipique in illo ab eodem D. Principe, amplissimisque cumulari muneribus & honoribus. Nomen Luitgeri, Regiumque titulum deposuit, sed deinceps Withikindus vocatus, Dux Saxonum cum propria potestate inauguratus est, & jure hereditario retinuit avita bona omnia, demtis ecclesiasticis, Magni etiam insignitus agnomine. Post quæ tandem, quod probabilius videtur, decessit anno DCCCVII. (h) non absque sanctitatis fama; eoque pertinet antiquissimum illud epithaphium apud Crusium, (i) quod transcribimus:

 Ossa

(a) *Vid. Sam. Pufendorf. de Jur. Nat. Gent. & Civil. lib. VI. cap. VI. §. 9.* (b) *De quibus singulis Hug. Grot. de Jur. B. & P. lib. I. cap. III. §. XX. n. 12.* (c) *Knichen de Territor. Orig. cap. I. n. 26. & seqq. post Reiner. ad vetustis Auctor. annal. de gest. Carol. Magn. ubi Bellum & Withekindum concilat.* (d) *Gerard. Noodt. de Orig. Nobilit. Germ. &c. cap. II. §. 2. & 4.* (e) *Vid. Knichen cit. Encyclopæd. cap. I. n. 20.* (f) *Schmincky in not. ad Eginhart. de Vit. Caroli Magni cap. VIII.* (g) *Eligantur Aut. Rudolph. Josephus Wintermann in meditationibus de Antiq. Germ. Stat. Legal. §. I. & II. in Append. ad Diss. H. in Mugkofsk de v. Dueller. Inscript. N. I. p. 25. edit. Halæ Sol. ca. m. & c. Hendel. 1736. in 4to.* (h) *E. Sebastian Joseph. Pichler in Augusti. Quinque Carol. Histor. de Carolo M. c. II. cap. II. n. 212.* (i) *In Vit. Withekindi cap. 27.*

Ossa viri fortis, cujus sors nescia mortis,
Iste locus munit: euge bone spiritus audit.
Omnis mundatur, hunc Regem qui veneratur,
Ægros hic morbis cœli Rex salvat & orbis.

Rebus ita se habentibus definire jam licet de Pfeffingeri sententia, suis & ipsa erroribus, ex confusione ortis, obnoxia. Erant itaque, ut vidimus, apud Saxones & Westphalos duodecim Viri, inter quos Withikindus fuit, quod etiam ajunt annales Francici Fuldanses, quibus utitur, quique eidem imposuerunt; unde Withikindus iis audit UNUS *e primoribus Westphalorum.* (a) Sed quia non tantum erat unus e duodecim; immo totos duodecim viros eminebat, præeratque, quod Regis Ducisque Saxonum fuisse jam supra annotabamus, ideo Princeps, Dux, & Rex Saxonum dicebatur. Auctor Anonymus Chronici Selavici apud Lindenbrogium: *Tunc tandem Withikindus eorum* (Saxonum) *Princeps deposita tyrannide baptizatus est cum omnibus Magnatibus suis.* Hoc sane & ipsa rerum gestarum series confirmat, neque enim Saxones cohibere unquam potuit D. Carolus Imperator, nisi primum uno Withikindo in devotionem recepto; neque aliter in articulis Fœderis, inter Francos & Saxones tunc initis, eundem permisisset a ceteris duodecim distingui, nisi maxima ejus fuisset dignitas & potestas, & ubi reliquos titulo Comitis contentos esse jusserat, unum Withikindum, quem sibi eousque validius adversatum non ignorabat, (b) Magni Ducis Saxonum honore & re donasset.

Hic Withikindus stirps est, & inter plures, quæ ab illo derivantur familiæ, Carretensis quoque memoratur, per Aleramum abneporem propagatam. Nam hujus Withikindi Magni filius fuit Wigbertus, seu Wibbertus, qui decessit anno DCCCXXV. Superstites remanserunt ex hoc nepotes Bruno & Walbertus. Mortuus est Bruno anno DCCCXLIII. duxitque Divi Ottonis Magni Augusti lineam, (c) & Henrici, omine Rixosi. Walbertus autem, qui secundogenitus erat, idemque primus Comes Ringelheimensis constitutus, ex Adelburga uxore, & filia unica Comitis de Lemona, pronepotem dedit Theodoricum I. Comitem Ringelheimensem & Alteburgium, obiitque anno 856. Hæc fuit Withikindei generis prima divisio.

Theodoricus I. (d) Ringelheimensis & Alteburgius Comes ex Reinbilda Comite Marburgensi liberos suscepit Reginobertum, seu Regenbertum, Theodoricum II. Withikindum IV. & Immoddum, sive Immottum. Regenbertus, qui primogenus erat, Dux fuit Angrivariæ, & Westphaliæ, floruitque anno CM. ceteri vero Comites remanserunt, Theodoricus scilicet secundogenitus, qui anno CMX præsertim clarus, Withikindus IV. tertiogenitus, & Immoddus, sive Immottus quartogenitus, quem quidam Comitum, Ducumque Sabaudiæ auctorem constituunt, repugnantibus aliis, quibus hi Comites Ducesque aliunde derivari viden.

(a) *Ad Ann. DCCLXXVII.* (b) *Reineccer. loc. cit. Stp. I p. 13. Kuchen loc. cit.* (c) *Schotus Genealog. Withikindea ex Jo. Leuwere Chron. MS. Brunsvicens. ap. Pfeffinger ad Vitriar. lib. I. tit. XVI. § 4. not. a. Reusner. Genealog. in Jemmat. Withikind. Stp. I p. 13. & seq. edit. Lips. 1610. fol.* (d) *Vid. Reusner. cit. Stp. IV p. 108*

videntur; aliis denique, recentioribus potissimum, obtendentibus deductionis probationem haud satis confirmari, ut jam annotavimus. (a)

Hic Withikindus IV. Theodorici I. filius, Walberti nepos, Wigeberti pronepos, & Withikindi Magni abnepos duas consequenter habuit uxores, Jutham, Burgundiæ Ducem primo loco, (b) & hac deficiente, Archisiam, sive Archisam incompertæ adhuc originis, sed quam ex bonis facile conjectes ductam a Marchionibus Italiæ, qui præter Secusii, & Eporediæ Marchionatus, inter se divisere Pedemontes, Liguriam, & Lombardiam. (c) Ex Archisia nactus est filium Gulielmum I. qui idem, utique ceu heres, Archisius, seu Archisius a matre dictus est, ut ex donationis tabulis de 8. Octobris anni CMXIII apud Joannem Notarium Sacri Palatii, initis in castro Villæ Focariæ, quibus Comites Guido & Archisia jugales, una cum Gulielmo filio Abbatiam Grazani donarunt pluribus bonis; & de his tabulis autopten habemus testem Benevenutum Sangiorgium. (d)

Sed quum Guidonis, & non Withikindi in illis tabulis mentio fit, iis, quibus illius nominis in alterum Guidonis deformatio satis non constat, non apparebit, unde hunc Withikindum fuisse Guidonem acceperim, nisi cum primis hujus diversæ appellationis rationem cum illis communicavero. Hæc tota dependet a pronunciatione; (e) nam quem Withikindum pronunciabant Saxones, hunc Guithikindum audiebant Gallofranci; pari modo quo illi Wilhelmum, hi Gulielmum, affinitate soni litteræ W Saxonum cum Gamma Gallofrancorum. Mox ut erant hi ipsi consonantium amantissimi, intermedia Vocale I detracta, quinque simul conjunxerunt consonas *thknd*, sic *Guithknd*. Itali quum de hoc nomine recipiendo deliberarent, sequi non poterant Saxones, nisi Alphabetum binis elementis W & K adauxissent, quorum utrumque suo palato non conveniebat. Itaque, quod erat expeditius, Francogallos secuti sunt, & abjecêre consonantes omnes ante D litteram, cujus sonus cum apud Græcos & Latinos, tum apud Italos præsertim, nullam aliam in eadem syllaba consonam præter S admittit. Hoc igitur modo ex Saxonum *Withikind*, Gallofrancorum *Guithknd* factum est, & ex hoc Italorum *Guido*, quod latine meruit declinari.

Gulhelmus iste Guidonis, seu Withikindi filius ex Helena, Duce Normaniæ nata, pater fuit Alerami. Tabulæ Donationis (f) anni æræ vulgaris CMLI. quibus Aleramus, ejusdemque secunda uxor Gelberga Grazanenses Monachos multis prædiis donarunt: *Nos Aleramus Marchio, filius Gulielmi Comitis &c.* ut adeo gradum omnino successionis hoc loco omisisent Reusnerus noster, (g) nisi forte præpostere, Gulhelmum hunc genitorem, Aleramo filium dederit, avum ob nominis affinitatem cum nepote confundens, ut mox infra patebit.

(a) *Supr. § Unus fuit p. 4. cui adde Joan. Georg. Eccard in addit. ad leg. Salic. Tit. XII p. 192 edit. Francofurt. 1720. fol.* (b) *Reusner. cit. Sep. V. p. 222.* (c) *Vid. Spener. Oper. Herald. P. special. lib. I. cap. LXXIII §. 14.* (d) *In Chron. Montisferr.* (e) *Exempla hujusmodi vulgaria sunt, & etiam apud Henric. Meibom. in Irmensula Saxonic. cap. ?? inter Opuscul. Rer. Histor. Helmstad. 1660. in 4to p. 17. & apud Cellar. Geograph. Antiq. lib. II cap. IX Sect. I. n. XIV.* (f) *Apud Benevenut. a Sangiorgio cit. in Chronic. Montisferrat.* (g) *Stemmat. Withikind. Sep. V p. 222.*

Ceterum sic agnitis Alerami parentibus testimonio, cui nihil opponi potest, longam assequor errorum segetem, & quorum fundamento Joan. Augustus Thuanus, & post hunc, auctor Geographiæ Ecclesiasticæ Albertus Miræus, Aleramum haberi voluerint filium Sororis D. Ottonis Magni, eumque primum Marchionatum Salutiarum acquisivisse: aut cui Ludovicus, & Franciscus Augustinus ab Ecclesia *in Corona Regali Sabaudiæ Domus*, a Marchionibus Eporediæ, sive Eporegiæ, potentibus tunc in Italia, eundem derivari maluerint; incompertum tamen mihi adhuc remanet, cui quibusdam recentioribus inciderit, Italum Principem Aleramum, a Gulielmo Comite Italo genitum, Berengarii II Regis Soceri beneficio primum Montisferrati Marchionem ex Comite fuisse constitutum. (a)

Quod mihi certi videor jam constituere, alterum illud est, eundem originis patria fuisse Germanum. Majores namque ejus, avus Withikiodus IV. & pater Gulielmus I. Saxones indubitanter fuere; unde quocumque gentium loco domicilium fixisse velis Gulielmum, aut ubicumque ponas natum Aleramum, etiamsi in Italia, naturalem patris originem non secutum esse non potuit. (b) Atque hæc cumprimis observare debuisset vir illustris, Marchio & Abbas Joseph Malaspina, (c) qui ex confusione patriæ, quæ originis, quæ nativitatis est, quamque duntaxat indicant tabulæ donationis, Grazanensi Monasterio factæ, Aleramum in Italia Principem Saxonicæ Gentis, perperamne dicam, an temere, adversus communem antiquiorum omnium consensum negare confidit.

Nihilo feliciores segetiis idem auctor (d) in altera quæstione, quam ipse primus excitavit, & cui, propterea nos quoque, nec inviti, locum dare debuimus, quando videlicet natus fuerit Aleramus, quando mortuus? Otiosa hæc non est in rei difficultate; imo ut ea crisim suam amplius acuunt Abbas & Marchio in hanc Genealogiam; ita eidem illustrandæ explicandæque hujus inquisitionis beneficio nos plurimum esse allaturos haud frustra blandimur. Putavit itaque decimi seculi anno trigesimo octavo eundem minorem esse non potuisse annis viginti, quia ab Hugone & Lothario Regibus eo anno *Fidelis eorum Comes* lauderur. (e) Nonne bojus Saxonum iis temporibus convenisse cum jore Longobardico, (f) quo decimus octavus annus legitimam præstabat ætatem ad insigne in regendis Regni populis officium; sed levia hæc sunt, ac observari merentur: neque tum primum Comitis dignitatem Aleramus obtinuit, ut suo loco demonstrabimus: neque repugnamus, si eundem malit Malaspina vetustiorem constituere, modo ante annum ejusdem seculi decimum tertium infante majorem illum non faciat. Hoc enim, quod Abbas non attigit, vetat donatio a Guidone & Arelisia avo & avia, nec non Gulielmo patre in Grazanense Monasterium collata de 8 Octobris anni 913 (g) qua nulla Alerami mentio est; id quod per mores Saxonum, quibus hanc Gentem perpe-

(a) *Malaspin cit. Diss. epistol. § 4 & § 12.* (b) *L. adsumptio a § Alem 1. ff. Ad Municip.* (c) *In cit. Dissert. epistolar. § 3.* (d) *Cit. Dissert. ep. § 11 & § 12.* (e) *Monumentum de VIII. Id. Februarii 938 dedit idem Benevenutus a Sangiorgio loc. cit.* (f) *Vid. Dissert. Hermanni Kemmerich Dissert. de Maior. Princip. Ætat. § V. VI. & VIII. quicquid nova sint Saxonum sit. Caspar Henr. Horn Jurisprud. Feud. c. p. VI. § XXIII.* (g) *Extat instrumentum expletum in castro Villa Focaria Joannes Notarius Sac. Palatii, visum & lectum eidem Benevenuto a Sangiorg. loc. cit.*

perpetim vixisse extra dubitationis aleam esse mox infra liquebit, fieri non aliter potuit, nisi si Aleramus nondum tunc natus, aut minimum infantiæ minor fuisset.

Accuratius rem definire in tanta antiquitate non licet, nec conjecturis indulgere opus fuit, ubi circumcirciter saltem veritatem attigisse putamus. Idem sufficiet de tempore mortis Alerami, cujus quidem obitum etsi die mense vel anno concludere nequeamus, non longa tamen intercapedine, & quinque tantum annorum circumscribimus. Anno enim Christi 986. Gelbergæ conjugi defunctæ superstes remansit Aleramus ex fide Volaterrani, cui nemo hactenus contradixit; quinquennio post, anno videlicet 991. jam fatis concesserat, quod tabulæ indicant fundationis Abbatiæ S. Quintini, (a) quam suo nomine erexit hujus filius Anselmus, nullo viventis patris indicio, quale alioquin fieri debuisset. Majus spatium, quod Alerami vitæ daretur, octuaginta septem esset annorum, nihilque adeo paradoxum involvit, quo minus huic calculo securi acquiescamus.

Proximum modo est agere de moribus, quibus vixerit Aleramus. Variabat tunc politicus Italiæ status, cum ob diversarum gentium affluentiam, tum maxime quia Victores Victorum scita non abrogaverant, & ideo plures simul obtinebant leges, suosque singulæ habebant sectatores, hinc notissima iis temporibus formula: *Ego N. N. qui professus sum lege vivere, &c.* Nos si Aleramum spectemus Saxonia oriundum, lege Salica eundem vixisse credere oportet, quippe hæc lex esset Francorum, cum quibus post Saxonicum illud bellum jura mores & dignitates communicaverant, ut his versibus bene ait apud Leibnitzium Anonymus:

Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus. &c.

Ac revera hanc legem diserte Aleramum, æque ac suos majores professum, esse ex Grazanensis Monasterii donatione de anno 951. liquet, ibi: *Prævidimus Nos Aleramus Marchio, filius Guilielmi Comitis, & Gelberga filia Domini Berengarii, & Anselmus, seu Oddo qq. viventes lege Salica: ipsi namque jugales* MODO QUO SUPRA GENITORUM NOSTRORUM &c. ex hoc enim evidentissimum hujus rei argumentum nobis fit, si veritate subsistat, nullam Salicam, seu Francicam legem in Italiam introduxisse Carolum Magnum ceterosque Carolingios, sed illam invexisse suis moribus Francos & Saxones, qui eo migrabant. Opinio hæc est Neapolitani Scriptoris, (b) ad quam Sigonium (c) exigit, ne eundem erroris insimulet. Nihilominus nolim tam facile in re dubia Clarissimi Viri, & de his rebus optime meriti, Ludovici Antonii Muratorii (d) prudentissima monita spernere, certam videlicet indicium nationis cujuspiam ex professione legis non elici, quia nulli vetitum erat, quam mallet, aut Romanam, aut Longobardicam, aut etiam Salicam legem profiteri. Et quamquam exempla, quibus utitur, a proposito nostro abesse videantur, utpote recen-

(a) *Authenticum exemplar asservatur in Arch. ... Marchionum ...* (b) *Pietro Giannone dell' Istoria Civil. del Regn. di Nap. lib. v cap. 1 § 1* (c) *De I ... 774 lit. D* (d) *Antichità Estens. P. I. cap. X. p. 77. & 78. & cap. X cap. XXIII p. 216 & 217.*

tiora, utpote in quibus *ex Natione mea*, aut hujus æquipollentis formulæ: *modo Genitorum nostrorum*, mentio non sit, sed solum Clericorum ac Fæminarum, queis diversa a ceteris personis conditio est, non eo tamen confugiam hoc dato, quod ipse quoque libenter agnoscit, ex professione legis optimam fieri originis præsumptionem. Tituli Comitis, Othonianæ donationis clausulæ firmiora nobis suppetiissent argumenta, sed ordinis gratia suis locis infra expendenda reliquimus.

Quod sibi hic locus merito vindicat, & egregiam faciet alteram præsumptionem, (a) gentilitia sunt Saxonum insignia, quæ in Sacello Abbatiæ Grazanensis, ubi Alerami cadaver conditum est, adhue inspiciuntur. Ibi enim nedum Saxonicæ Gentis Aquila compater & labarum, quæ ambo perpetim Montisferrati Marchiones retinuere, sed & ipsæ trabes antiquissimæ (b) sine rutaceo serto, quod recentiori ævo, & forte primum ab Ascaniis acquisitum, avitis Montisferratensium insignibus additum est.

Firmissimum vero decernendi argumentum, nec ab hoc loco alienum, penitius inspicienti eadem ipsa Grazanensis Monasterii donatio præbet, ubi Anselmus seu Oddo germani, Aleramo & Gelbergæ jugalibus in alienando consensere. Verba sunt. *Ipsi namque, jugales modo quo supra genitorum nostrorum, & Anselmi seu Oddonis gratia nobis consentiente, & pariter confirmante, de nostra facultate, nobis sua pietate largita, Christi Fidelibus afferre &c.* Pulchram hinc arripuit hariolandi occasionem Abbas & Marchio Malaspina, (c) *Anselmum scilicet & Oddonem, a pupillari egressos ætate, debitarum fortasse sibi ex defuncta ipsorum matre, Alerami uxore prima, rerum arbitros fuisse, ut de illarum usu vel ipsi disponere, vel disponenti consentire patri possent.* Hanc esse conjecturam & ipse vidit, sed, quod non animadvertit, illud est, eandem & jure Germanorum & Saxonico, ad cujus principia hæc donatio exigi debet, &, vel in sua hypothesi juris Romani rei gestæ repugnare. Si namque de materois bonis alienandis actum fuisse velit, Gelbergæ novercæ personam contractui intervenire nihil erat necesse: nec concipi potest, cur filiis consentientibus pater alienaverit, siquidem ex Jurisprudentiæ principiis alienare solent, qui domini sunt; ceteri autem, quibus jus aliquod competit, consentire; quare pater, qui illorum bonorum dominus non erat, sed tantum in his sibi debebatur ususfructus, &, moribus Saxonum, non vi cujuspiam patriæ potestatis, sed ob tutelam, eademque durante, consentire duntaxat, non alienare potuisset. Aliunde igitur hujus rei ratio petenda est, nec nisi ex legibus Salicis & jure Saxonum, quibus cautum fuerat, liberis masculis, & non aliis, possessiones tradi. (d) Supplevit hac in parte Salicas leges Carolus M. facta potestate pro salute animæ suæ, vel ad aliquem venerabilem locum res suas relinquendi iis sollemnitatibus, quæ eadem constitutione (e) continentur. Sed jus Saxonicum nihil amplius requisivit, nisi ut consentirent, quo-

(a) *Jo. Theoph. Luck. de Probat. per* [illegible] *& Arm. Gentil. cap. III §.* [illegible] *Theodor. Hopp.* [illegible] *Jur. Insign. cap. XIII n. 52. p. 7* [illegible] (b) *Theodor. Hopp.* [illegible] *Jo.* [illegible] *V. num. lv. V. p. m. 345.* [illegible] *Jacob. Spener. Oper. Herald. Part.* [illegible] *Dom. Saxon. §. V.* (c) [illegible] (d) *Egregie Jo.* [illegible] *differens Jur. Commun. & Saxon. in simultanea investitura, habita* [illegible] *Jo. Petr. a Ludewig 1722. §. VIII. & IX.* (e) *Leges Francor. Jo.* [illegible] *Caroli M. ad leg. Salic. ann. DCCCXIX. cap. VI p. 281.*

quorum ratione successionis intererat; (a) unde jam in aprico est, quorsum hujusmodi Anselmi & Oddonis consensus interpositus fuerit. Usus namque suo jure Aleramus Saxo, quo forsitan veriore sensu refertur paullo ante delibata clausula: *modo quo supra Genitorum nostrorum*, moribus Saxonum alienavit, quibus fœdus cum Francis initum, non ademerat suas leges; ab opposito vero Francorum legibus, quoties vellent, uti permiserat. (b)

Post hæc omnia succedit de titulis: unde, quando & quomodo Comitis, & Marchionis comparate honoribus usus sit Aleramus, quam disquisitionem priori affinem esse, & unam alteri illustrandæ inservire, jam monere præoccupavimus. Etiam in hoc capite suis conjecturis indulsit Abbas & Marchio, (c) commentus, Aleramum fortasse a regnante tunc Berengario, cujus filiam Gelbergam habebat uxorem, ea dignitate fuisse ornatum. Mallem suo more accuratiorem inisset temporum rationem, & quandoquidem de hoc Alerami conjugio cum Gelberga ante annum 951 non constat, contra vero Comitem eundem appellari jam inde ab anno 938. observamus in donationis charta (d) de VIII. Idus Februarii Hugonis Provinciæ Galliæ Ducis, ejusdemque deinceps cum Lothario filio Regis Italiæ, (e) deliberasset maturius hac de re, de qua trium & viginti annorum intervallum fuidis conjecturæ faciebat indicium. Interea mecum omnes, qui norunt Saxonicæ Gentis dignitates & prærogativas, haud pendebunt animis credere, a nativitatis tempore Aleramum Comitem fuisse; quippe de jure Familiæ ex eodem fœdere cum Francis, primogenus semper Dux Saxonum nasceretur, ceteri autem Comitis honore præstarent; (f) id quod cumprimis de Aleramo dicere pernecesse est, cui neminem unquam eam dignitatem attribuisse caussabimur.

Præstitit ergo Aleramus Comitis principali iis temporibus dignitate, eidemque accessit illustrior, altera Marchionis, (g) quem ad modum sunt bina documenta; alterum quidem sæpe nobis expensa Grazanensis donatio: alterum tabulæ concessionis Ottonianæ. (h) Verum enim vero in his tantum Marchio enunciatur, nec quicquam præterea illinc hoc circa elicere est, nisi jam anno 951. eo honore fuisse affectum. Quando autem primum ita appellari meruerit, incompertum adhuc remanet, nec alia apparet difficultatis excutiendæ vis, nisi quam bona, quæ possedit, suppeditant, quippe si a bonis Marchiones ævo Ludovici Pii, quid quod Caroli Magni (i) dicti sunt, quod celeberrimo Muratorio (k)

 sub-

(a) *Jus Saxon. Prov. artic. XXXIV. & LII. lib. I.* (b) *Ob auctoritat. Polita Severus Smincke in not. ad Eginhart. de Vit. Caroli M. cap. VIII. editionis, quam accuravit Trajecti 1711. in 4to p. 51. Jo. Eccard. cit. in not. ad leg. Salic. tit. II. p. m. 39. Francofurti & Lips. 1720. fol.* (c) *Cit. Dissert. § 4.* (d) *Jam supr. cit.* (e) *Murator. Antiquit. Italic. Med. Ævi Diss. XVII. Col. 954.* (f) *Albin. in trat. de orig. Saxon. Chronic. Misnens. lib. 1. tit. XII. & Genealog. Saxon. fol. 123. Reiner. de Saxon. orig. fol. 27. Ambern. cit. Encyclopæd. cap. I. n. 25. & 26.* (g) *Murator. Antichità Estens. P. I. cap. V. pag. 27. & cap. XI. p. 25.* (h) *Exemplar authenticum asservatur in Registratura Litterarum Imperiale Aulicæ.* (i) *Annal. Franc. ad ann. 784. add. Ambern. in comment. de Sax. nov. prov. Jur. cap. IV. n. 20. & seqq.* (k) *Murator. cit. Antiq. Italic. Tom. 1. Diss. VI. p. m. 268. col. a.*

foboluisse non vidi, si ex suis bonis aliquod Aleramus habuerit, unde potuerit Marchio vocari, nihil remanebit inquirendum.

Agnitis ejusdem honoribus, tractationem de conjugiis, quot videlicet & quibus copulatus fuerit uxoribus, ad quam ordine veluti deducimur, jam præstat auspicari; quippe excellens Alerami conditio paris quodammodo consortii, ni certum, probabile tamen oppido sit argumentum. Et revera eum illustrissimis conjunctum fuisse personis ob nuptam illi Gelbergam, Italiæ Rege Berengario, Berengarii Augusti ex filia nepote genitam, (a) diu antiquioribus historicis ignoram, ex eadem Grazanensi donatione detexit, exploratumque fecit Sangiorgius. Sed ut id dubium modo amplius non habet, ita tanto magis ex altera parte eruditos agitavit investigandi curiositas, num post hanc aliam duxerit uxorem, & quænam prima fuerit, quam ante Gelbergam duxisse, Gulielmus Alerami filius, & Gelbergæ privignus in eadem ipsa paulloante memorata donatione enunciatus evincit. Unam ex Alerami uxoribus, Imperatore Romano-Germanico natam, & nomine Ottone, vetustissima fama fert; & licet ancipiti sententia, constanter tamen tradidere majores nostri, quanquam non synchroni, ideoque nec tantæ rei probandæ idonei recentioribus videantur.

Agnovit quidem solertissime, & non invideo, eruditissimus Abbas & Marchio Malaspina, (b) idemque arithmetica demonstratione ostendit adversus Volaterranum & Germaniæ cumprimis Scriptores, Ottonis II. filiam hanc esse non potuisse; multo itaque minus hujus ex Ottone III neptis esse debuit, quod etiam quidam voluere. Superest ergo ut fuerit Ottonis I. si fuit unquam. Nec hoc admittit egregius criticus; (c) imo obnitens pro aris & focis, ex sancto Odilone Cluniacensi Abbate, (d) apud quem nulla istiusmodi rerum & filiæ in vita sanctæ Adhelaidis, Ottonis I. conjugis, mentio est, id satis patere arbitratur. Ego sane ob decorem, qui hinc posset Cattettensibus accedere, sat illustribus tot aliis prærogativis, & vel uno illo Gelbergæ conjugio, haud diu hac de re contenderem. quoniam autem hæc disquisitio pertinet ad detegendum, quænam fuerit ex primo conjugio consors Alerami, recte eundem numeros pro optimi critici more non implesse ostendere adigor, & ni possim certa in hanc rem afferre argumenta, probabiliores saltem subnectere conjecturas.

Fundamentum itaque, quod negativum deducit Malaspina a coævi Scriptoris silentio, extra casum est, quippe non una fuerit uxore copulatus Otto I. Imperator. Quod si huc pertineret, nihilominus infirmum semper fuisse norunt dialectici; eoque magis in hujusmodi quæstionibus historicis, quo quotidie novæ veluti prodeunt personæ ex authenticis documentis, de quibus nemo ante meminerat; (e) id quod si ire-

(a) *Sigon. de Regn. Ital. cit. Lib. VI. ad ann. 891. lit. f.* (b) *Cit. Diss. §. 7 & §. 22* (c) *§. 6. 7. & 8.* (d) *Lib. 2. c. 3. col. 1. Ex. idem. Tom. I. p. 263.* (e) *Exemplum vid. ap. Lehmannum chron. Spir. Lib. V. cap. XVI. p. 405. qui addit, filiabus Ottonis II. Imperatoris, quartam Gisblam, matrem Henrici II. Cæsaris. Wyssinger. ad Vinnii. Institut. Jur. Rub. lib. I. tit. V. n. 23. in fin. p. m. 305.*

fit frequenter in Germanorum Principum annalibus accidit, nullibi tamen frequentius, quam in filiabus, & Saxonicæ Gentis, quarum, utpote cujusque successionis expertium, (a) minor quoque ratio habebatur. (b) Nihil ergo vetat primam Alerami uxorem Ottonis I. filiam fuisse; imo ejus rei non leve forsitan indicium faceret alterum conjugium cum Gelberga Berengarii, quam suppares dignitatis matronæ in matrimonio successisse, nemo sanus mihi contendet. Sed revera filiam fuisse Ottonis I. in tanto Historiarum silentio, in tot tenebris, nulloque monumento adjuti, ab opposito vero omnibus ferme Ottoni II perpetim eandem asserentibus, quomodo evincam? Mea sane conjectura est, sed a vero non abhorrens, vetus hic latet neque improbabilis error, qui nobis hactenus crucem fixit. Otto Magnus Henrici Aucupis filius, Ottonis Magni nepos, secundus fuit hoc nomine Dux Saxonum, & demum multo post primus Imperator. (c) Ex duobus conjugiis, altero quidem ante annum 928. cum Editha Eduardi Regis Angliæ filia, quum adhuc Dux esset, (d) altero cum Adhelaide, tunc quando jam fuerat Imperator renunciatus, liberos suscepit. Hujus filius & Imperator Otto II tertius Dux erat apud Saxones, unde potuit facilis nasci numerorum confusio, (e) ut Buttinga (f) Aloysia, Aleramo nostro nupta, hujus Ottonis filia crederetur, quæ tamen fuerat soror ex Ottone I. Imperatore, & secundo Saxoniæ Duce genita. Porro de hujus nomine Adelheide, Adelhasia, Athalasia, Aloysia, Falesca, (g) tam vario apud auctores, nihil quicquam constituo, contentus posthac eandem perpetuo Adelhaidem vocare.

Supersunt adhuc obstacula, quorum illud statim ex ipsa, qua utimur, Grazanensi donatione oriri videtur, num primo loco nupta Aleramo, quædam fuerit Gelbergæ soror, quid quod etiam, num Gelberga matertera potius quam Alerami secunda conjux intelligi mereatur. *Filiastri* enim nomen & *matertera*, barbari seculi barbara vocabula, eo quoque forte an possent extendi. Sed frustra hoc in casu, ubi personarum relatio ambigua non est. Aleramus namque & Gelberga in communione bonorum donatarum, unde & erant, ita uti de facto dicuntur, jugales. Hoc statuto non Gelbergæ ex sorore nepotes Guilelmus Anselmus & Oddo fuerint, sed privignii tantum, cum quia contrarium nequeat probari, tum maxime

(a) *Christ. Thomas. select. cap. Histor. Jur. Feud. Germ. ad Thes. XVII lit. x, y, & ad Thes. XXII lit. m. ubi leges Salicam, Ripuariam, antiquam Saxonum, & Anglorum, ac Warinorum recitat.* (b) *Jo. Frider. Joachim in Diss. de Jur. Aug. Magnæ Britanniæ Regis in Terram Mathildæ cap. I § 2. p. 6. ubi de filiab. Withekindi. Vid. Theatr. Historic. Methodum Henric. Aucup. cap. II p. 264. & in Otton. II cap. II p. 881.* (c) *Schenn. Genealog. Withekindea ex Joann. Letzner Chronic. MS. Brunsuicens. vide & Pfeffinger in not. ad Vitriar. ut lib. I tit. XVI. § 4. lit. A.* (d) *Volunt quidem ann. 924, vel 935 Ottonem duxisse Editham, quod quod Regino deferto id est de anno 970. sed quum idem auctor sit, jam anno 928 Wilhelmum suscepisse, qui secundogenitus fuit masculus ejus conjugii, longe ante illa tempora debuit Otto Edithæ copulari.* (e) *Exempla vid. ap. Pfeffinger. ad Vitriar. ut lib. I tit. XVI § IV. lit. A. ubi de Henrico Aucupe similem errorem animadvertit & emendat Murator. Antichità Estensi P. I cap. VII p. 44. & cap. XIII p. 106 ubi de Henrico III Imp. & passim.* (f) *In Chronic. Brunsuicens. p. 101. quem sequitur Pfeffinger ad Vitriar. ut lib. I tit. V. n. 11 p. 105. col. 2 in fin.* (g) *De quibus vid. etiam Reusner. Stemmat. Withikind. Stirp. V p. 122, edit. ann. 1610 fol. & Murator. Antichità Estens. cap. IV. p. 24.*

ximè quia Catholicæ Ecclesiæ moribus paris gradus affinia conjugia non permittebantur, aisdemque, quominus fierent, sollicite jam tunc invigilabant Pontifices, ut apud Serenissimos Estenses in Azonis II. conjugio Muratorius (a) observavit, & ex nostris Carretensibus exemplum dedit Thetidia Bonifacius, cui Anselmi prædefuncti uxorem conjungi per Taurinensem, Astensem, & Aquensem Episcopos serius inhibuit admonitionibus D. Gregorius VII. Summus Pontifex. (b)

Alterum dubium, quod ex ipsis Ottonianæ indulgentiæ tabulis sentio posse excitari, illud occurrit, cur videlicet, si Aleramum Ottonis generum credere pareat, eundem numquam in illarum contextu, hoc affinitatis vocabulo nuncupaverit. Omissis aliis affinitatis & amoris indiciis, quæ opponere possem, & illic quisquis facile vel me tacente notabit, mihi libenter suadeo nihil magis obstitisse, quam tempora concessionis. Anno enim 967 ad quem pertinet, jam excesserat prima conjux Alerami, & posteriorem duxerat Gelbergam. Canones utique affinitatem nihilominus servarunt; jus autem civile Romanum, cujus jam tunc pristina invaluerat auctoritas, non item. Potuit hinc ergo eo nomine abstinere Imperator, vel alia ratione, quam ceterum attingere nec præstat, quippe tanti non videatur hæc objectio, ut optimam possit conjecturam convellere. Alioquin eruditissimis satisfecisse me puto, & quum tot attulerim ad hujus conjugii personam determinandam, quot illi, ut eandem dubiam ostenderent, afferre non potuerunt, spes est fore, ut imposterum mecum conveniant, & meliorum Historiographorum, Sigonii (c) præsertim fidem tueantur, quam quibuscumque hac in parte erroribus innoxiam præstare ausim, & mox infra luculentius ostendam. Porro de tertia Alerami conjuge, quam post Gelbergam duxerit, mihi nihil umquam verisimile innotuit, ut proinde impune licere existimem, eandem prorsus excludere.

Alerami conjugum notitia alteram excipit liberorum, quot nempe qualesque filios reliquerit & successores, insuper habitis veterum fabulis, quas quem ad modum a præcedentibus abesse prorsus jussi, adeo ut nec illarum meminisse voluerim; ita nec minore libertate hoc etiam loco sum prætermissurus, & idoneis duntaxat inhærebo documentis & testimoniis, quibus omnia distinctissime enarrentur. Ergo in memorata Grazanensi donatione anni 961. Alerami filii, Gelbergæ privigni & invicem germani nominantur Gulielmus, Anselmus, & Oddo. Verba jam supra relata, iterum retexere abundaret. Hos itaque tres & non pauciores suscepisse Aleramum ex priore Adelhaidis conjugio extra dubium est. Plures, sed præmortuos infante minores, nec asserere, nec negare certo consilio licet, quippe Gulielmus, ante donationem defunctus, septem annos excessisse satis indicatur, utpote pro cujus etiam anima fuerit oblatum; ceterorum, si qui, meminisse tunc occasio non erat. Eo anno Aleramus,

(a) *Antichità Estens. P. I cap. IV p. 22. & cap. XXIV p. 233.* (b) *Francisc. Augustin. ab Eccles. in Coron. Regal. Sabaud. Domus P. I fol. 295. & seq. & P. II. fol. 304. ubi nonnullas epistolas Gregorii refert.* (c) *De Regn. Ital. lib.* VII. *col. 424. in fin. & seq. ubi ab eruditissimo Saxio in not. num. 27.*

ramus, aut nondum ex Gelberga liberos habuerat, aut hi minores erant, quam ut possent donationis actibus intercedere; ideoque nec ulla illorum mentio injecta est.

Scilicet, ut quid sentiam jam clarius patefacere incipiat, hæsit in hoc quoque loco nimia suaeviſi Abbatis & Marchionis Malaspinæ diligentia, (a) cujus alioquin merita in hujus Genealogiæ capite de filiis Aleramı, a fabulis & ineptiis vindicando, maxima agnosco, & mecum boni omnes profitebuntur. Nulla itaque eidem subolum Alerami proles, ex secundo conjugio suscepta, & dum totus in excludendo Bonifacio occupatur, Gulielmum alterum præterit, Gelberga natum, in quo avi nomen, more majorum, servatum voluit Aleramus, quod in prædefuncto Gulielmo defecerat. Hujus Gulielmi personam suggerit nobis Abbatia Lucedii, quam anno 1019 istius filius Bonifacius ædificavit seu restauravit. (b) Cum præmortuo altero Gulielmo nemo prudens hunc confundet, qui Grazanensem donationem repetat, & seriem rerum gestarum, omniaque simul componat. Quandoquidem oportuisset, si præmortuus ille Gulielmus hujus Bonifacii pater extitisset, jam tunc nati nepotis, qui patrem suum repræsentabat, recordatum esse Aleramum, ubi Anselmi meminit & Oddonis filiorum, quibus idem in bonis jus erat cum Gulielmo, &, hoc sublato, cum hujus filio Bonifacio.

Sed quod undequaque dubium eximit, tempora sunt, quæ supputes. Ab anno enim 951. quo jam natus esse debuisset hic Bonifacius, ad annum 1019 quo Abbatia restaurata est, intervallum intercedit annorum sexaginta & octo, quos excessisset Bonifacius, jam natus anno 951. His sexaginta & octo si tres addas supra triginta totidem enim sunt ab anno restaurationis Abbatiæ 1019 ad annum 1052. tempus mortis Bonifacii ex fide Arnulphi & Hermanni Contracti, (c) anni prodeunt 101 quos vitæ Bonifacii tribuere, ut ut diu senem vixisse constet, nimium est. Fuerit ergo Alerami nepos ex altero Gulielmo, ex filio videlicet Gelbergæ, siquidem in hoc unice omnia & ipsa tempora, quatuor vel quinque lustris eo pacto decrescentia, consentiant.

Haud sum nescius plerisque persuasum esse, præter hunc Gulielmi Bonifacium, alium ejusdem nominis circa hæc tempora extitisse, & ipsum Aleramo genitum, Montisferrati Marchionem, Gulielmi nostri fratrem natu majorem, & patruum Bonifacii alterius. Incerta hæc nimium sunt, & periculosa fuerunt suis assertoribus in judicio de successione ad Marchionatum Montisferrati, in quo occidere optima caussa defectu probanis, contra vero prævaluissent, ut indicavit Imperator, si illo errore remoto, Genealogiam quam instruere putarant, rectius instruxissent. Et sane de hoc, quem ajunt, Bonifacio, nihil adhuc documento aliquo exploratum est, (d)

quid

(a) *Cit. Diss. epistol. §. 16. & seqq.* (b) *Frustra ergo in not. n. 37. vapulat Sigonius de Regn. Ital. lib. VIII. col. 481. pr. & ap. Murat. Antichità Estens. P. I. cap. XXVI. p. 262. pro quo vindiciæ ex l. 1. ff. de Mort. infer. satis deducuntur.* (c) *Optime & solertissime celebris Murator. Antichità Estens. cap. XXVI. p. 261. & seq. ambo loca conciliat & illustrat.* (d) *Id jam observavit Malaspin. cit. Diss. §§. 30. & 31.*

quidquod si hunc velis eundem asserere, qui anno 1052. a latronibus interfectus occubuit, prope dixerim, paradoxa de eo feruntur, ob integri ferme seculi intervallum, quo vixisse oporteret. Non damnabo tamen absolute, si ti malint, hanc opinionem, de qua non constituere rurius est, nulla cogente necessitate, quippe nihil ad rem nostram conferat cujusque demum Bonifacii linea, prout neque altera Gulielmi, & aliunde etiamsi conferrent, nihil esset absurdi, cum pro moribus illorum temporum in feudorum divisione, (a) uterque Montisferrati Marchio dici potuerit. (b) Quam ob rem nec admodum etiam adversarer Sigonio, quum ait filios Montisferrati Marchionis, ab Imperatore Marchiones Cevæ, Salutiarum, Boschi, Ponzoni, Carrecti, & Buschæ fuisse declaratos. Verum enim vero quia sub Ottone III. acta gestaque hæc vult, quo tempore Carretti nomen necdum innotuerat, neque Salutiarum & Buschæ Marchionatus adhuc agnoverant Alerami descendentes, obveneruntque demum eisdem per Adelhaidem Petri Marchionis Italiæ, & Bonifacii, Thetis filii, conjugem, ferenda non est; eoque minus, quia re diligentius excussa, nugas prodit, hodie satis explosas, de septem Marchionis Montisferrati seu Alerami liberis, totidemque Marchionatibus, quam inter tot alios Sigonium quoque, accuratissimum licet scriptorem, bibisse non indignamur (c)

Ita explanatis difficultatibus, qua generis qua patriæ & originis Alerami; tum etiam quæ circa mores titulos Comitis & Marchionis, uxorum liberorumque numeros movebantur, de bonis operosius negotium suscipiam, a quo nempe seu quibus feuda bonaque adquisiverit. Præit utique insigne & celebre Diploma Ottonianum, quod Italiæ nostræ, quidquod etiam Germaniæ eruditiores calamos frequenter exercuit, ejusque veritas & auctoritas contentioso judicio primum in dubium revocata, exhibito demum exemplari authentico, quod in Serenissimi Sardoi Regis Archivo conditur, coram D. Carolo V. ab ipsis dissentientibus Mantuanis Advocatis (d) agnita est, & anno 1536. 3. Novembris Genuæ declarata, (e) ubi tunc divertebat Imperator. Sed ejusdemmet hujus diplomatis ratione impedimenta nectuntur, num videlicet feudalis concessio sit, quemadmodum divagam amplitudinem caussati plerique negarunt, & per consequens num alodia potius, quam, quæ dicimus feuda, possederit Aleramus.

Studio partium, quam quisque fovebat, diu in hac arena conseruere manu politissimi JCti, irrito tamen conatu; quippe vestituram esse feudalem responderint inclytæ Italiæ Academiæ, (f) & DD. Imperatores cum litteris vestiturarum, tum celsissimi Imperialis Aulici Senatus

(a) *II Feudor LV. de Prohibit Feud. alienat Murat Antichità Estens. P. I cap. VI p. 25 & cap. XVII p. 150* (b) *Murator cit. cap. XXIV p. 242 ubi exempl in Marchionibus Estensib.* (c) *De Regn. Ital ad lib. VII vol 464* (d) *Colleg Mantuan in libr. de Montisferrati Ducatu Vid Raphael de Turr Controvers Finarens Sect IV. cap XXXVII p. 129 & seqq & contrus LXVII. Informationes in caussa Montisferrati, vulsa Mantuæ 1546 p. XXX. fol* (e) *Ap Lunig, Cod Diplomat Ital cap. IV n XXII col. 1423 & seqq Tom. I* (f) *In caussa pro Marchionatu Finarii contra Serenissimam Remp. Genuæ anno 1560 pro Marchionum de retinenda possessione.*

tus præjudiciis toties & toties declararint & confirmarint. In historia feudali potissimum peccatum est, dum voluere dissentientes, quæ prius gesta sunt, &, ut ita dicam, in juris feudalis infantia, ad eorum normam exigere, quæ posterius longa experientia innotuerunt, ad Conradum nempe II. omine *Salicum*, quousque adolevere quodammodo jura feudorum, (a) vel ignoto tunc hujusmodi vocabulo, & undecimo demum seculo in vestituris adhibito, obtinentibus ejus vice similibus, *honorum*, *beneficii &c.* nominibus. (b) Postea quidem vigorem suum longe lateque diffuderunt, certis statisque regulis per Mediolanenses JCtos conclusis anno 1170. vel etiam, quod alioquin minus probem, 1152 primo Imperii D. Friderici. (c) Sed ut ridicula esset antihistoresia ex his regulis Ottonianum diploma interpretari, ita has regulas in eo esse servatas exigere non oportet, & sufficere debet, si a D. Imperatore sub jure patronatus, seu protectionis lege, *mundiburdium* vocant, ob probatam fidelitatem, bona fuerint concessa vel confirmata, in quo astatim pro eo tempore feudorum naturam exprimi arbitramur. Hoc exigit verbum *confirmare*, quod ibi legimus, quum non confirmetur, quod primo conceditur, sed quando jam concessa demum corroborantur: quocirca æquivalet barbaro alteri Longobardorum *vestire*, ejusdem plane sensus & potestatis: (d) exigit vel ipsa præcipuorum regalium concessio, veluti pugnæ indicendæ facultatem; ibi. *aut pugnam declarare &c.* Porro vocabula *concessionis, & donationis*, in diplomate usurpata, aut *ad Cortes* pertinent, aut ex his veniunt explicanda, quibus cohærent; ut nempe quæ obtulerat Ottoni Aleramus in beneficium sibi conferenda, eadem eidem annuerit Imperator plenissimo feudi jure, & sub tutela perpetua, nulloque possent prætextu violari, prout disertissima habet altera clausula *divestire præsumat, volens illi objicere, quod vestituram inde præterito tempore non habuerit &c.* Denique juramenti fidelitatis defectus nihil obest, quia de jure necessarium non est, (e) & ex consuetudine dumtaxat, & non ubique interponitur, (f) potuitque ab Imperatore remitti, cui vel solo verbo feudum constituere competit. (g) Quanto itaque magis ob naturam Alodiorum, qualia fuere ab Aleramo exhibita, in quibus nulla homagii præstatio requirebatur, sed solum eminentis dominii recognitio. (h)

Plura quæ tractandorum ordo suis locis sparsim iuseri requisivit, supervacanee addidissem ad uberiorem rei confirmationem, abunde ex adductis exploratæ; nec video quid supersit amplius hæsitare, num beneficia seu feuda fuerint & alodia, quæ possedit Aleramus. Unicum ergo,

E 2 quod

(a) *Thom. Crag. Jur. Feudal. lib. I. tit. IV. §. 4.* (b) *Rudolph. Augustus Nolten. in Diss. de Feud. extra Curtem, Præside Jo. Gulielmo Gabel. Sect. I. § VII. Christ. Thomas. in Diss. de Libr. vetus de Beneficiis Auctore Fato Vetustate &c. & Select. Cap. jur. Feud. cap. 31. §. 28. Struv. in Histor. Jur. Feud. cap. VIII. § 2. & in not. ibid. p. 673. add. Murat. Antiq. Med. Æv. Diss. XI. col. 700. in fin.* (c) *Pietro Giannone dell' Histor. Civil. del Regn. di Nap. lib. XIII. n. 1.* (d) *Andr. Knichen cit. in Tract. de Vestitur. Poss. P. I. cap. 2. n. 3.* (e) *Gasper. Henric. Horn. Jurisprud. Feud. cap. XVII. §. 2.* (f) *Crag. cit. lib. 2. tit. IX. § 22.* (g) *Knichen de Univers. Jur. Territor. cap. II. n. 87.* (h) *Vid. Du Fresne in Glossar. verb. Alodis.*

quod erat reliquum, jam aggredi oportet, a quibus nempe hæc omnia acquisiverit. Non ibo longius Ottoniano Diplomate, quo singula ex supplici libello ejusdem Alerami distinctissime enarrat Imperator. *Ut quasdam cortes absas, hactenus regni nostri, de beati præcepti nostri pagina sibi concederemus; nec non omnes res & proprietates suas ad utriusque sexus familias, quæ illi advenerunt, tam de hereditate parentum, quam de suo adquæstu, similiter auctoritate nostri præcepti eidem confirmaremus & corroboraremus*, pro ut concessit confirmavit & corroboravit, quo pertinet altera clausula: *cujus petitionibus annuentes & ipsius fidelitatem considerantes, per hoc nostrum præceptum, pro ut juste & legaliter possumus, concedimus donamus atque largimur &c* nec non: *insuper confirmamus & corroboramus prædicto Aledramo Marchioni &c.* addita pœnali sanctione. *interea per hujus nostræ donationis & confirmationis paginam & omnino statuimus, ut nulla Italici regni persona &c.*

Duplicis ergo generis fuere Alerami bona, vel nempe hereditaria, a suis majoribus conjunctique (a) acquisita, vel adventitia, quæ scilicet multifariam aut contractibus, aut jurisdictione, aut suis meritis sibi ab extraneis obvenere. Quæ vero fuerint determinate adventitia, quæque hereditaria, ægre divinabimus in tanta vetustate, nec si non improbabiles eluceant conjecturæ & nonnulla inconcussa documenta (b) Ottonianæ tabulæ nihil amplius præ se ferunt, nisi cortes, quas a ceteris secernere possimus, puta *a flumine Tanaro usque ad flumen Urbam & ad littus maris.* Cetera autem, quæ *in Comitatu Aquensi Savonensi, nec non Astensi, & Montisferrati, Taurinensi, & Vercellensi, Parmensi, & Cremonensi seu Bergomensi* possidebat Aleramus, sine ulla distinctione in unum conjecta sunt, ut nescias vel illud: an non sicut integras quasdam ex his possedit provincias, ita etiam omnes possederit, an vero ab opposito quia nonnullas tantum habuit integras, reliquas autem parte tenus, ideo generice de omnibus dictum sit, quicquid in illis possidebat, seu, æquivalenter *quæ possidebat.* Non indagabo molesta disquisitione & periculi plena, quæ sufficit confuse novisse, nec exquisitiorem hodie postulant diligentiam jam mihi exemplis præeunte clarissimo Muratorio. (c) Hoc modo teneamus eundem petiisse sibi omnia confirmari & concedi ad utriusque sexus familias. Hæc petitio, illa bonorum distinctio utrumque mihi inducere videntur, diverso nempe jure reputata fuisse hæc bona neque patuisse heredibus, sexus præsertim sequioris. Atque hoc apprime est jus beneficiorum, seu feudorum, quod tunc erat, in nullos successores transiens: (d) est, quod sibi vindicabant leges Salicæ Ripuariæ & antiquæ Saxonum, distinguentes inter avitica bona & adventitia, (e) non admittentes fœminas ad avitica alodia; (f) acceditque adeo nedum ad eorum confirmationem, quæ de moribus Alerami jam supra diximus, & amplius dicenda huic loco reservabamus, sed præterea pro asserendis feudalibus bonis Alerami firmiora argumenta suppeditat, Alte-

(a) *Murat. tol. P. I. cap. XVIII p. 172* (b) *Velut donatus Hugonis & Lotharii factæ, Aleramo anno 938 de qua jam supra & edita Guichenone Biblioth. Sebus. Cent. I cap. 51.* (c) *Loc. cit. cap. VII p. 45* (d) *Muratus Antichità Estensi cap. V p. 28 & seq. Crag. cit. lib. I tit. IV § 2 & seq.* (e) *Christ. Thomas. Select. Cap. Jur. Feud. Germ. cit. § VIII Struv. cit. Holtzr. Jur. Feudal. cap. VIII ad § 1 in not. p. 677. ubi in specie hujus Diplomatis, apud quem tamen dies & mensis, qui datum est, in mendo cubant. Ubi etiam pulchre disputat contra Thomasium Diss. de Originib. Feud. rursus ad § XXV* (f) *Christ. Thomas. Select. cap. cit. § XXII & ibid. in not.*

Alterum quod in eandem hanc rem transferam, Cortes sunt Italici Regni, quibus Aleramum donavit Imperator. Utut enim hæ potuissent esse alodia, si ea clausula: *Italici regni* abesset, quod clarissimo Muratorio (*a*) observatum voluissem, ita hac extante dubium quodcumque excluditur. Neque facessere amplius potest amplissima dominii translatio, quæ ex his clausulis deducitur. *& quidquid ibidem hactenus juris regni Italici pertinuit, ut sicut huc usque juri regni nostri & dominio subdita visa sunt, ita a modo in antea præfati Aledrami Marchionis dominio subdantur, & in ejus jus delegentur, & omnino transfundantur.* Reservatio enim juris Supremarus, etiam non expressa, semper inest, quippe translatio dominii reservationem involvere intelligatur, & duntaxat factam esse juxta subjectam materiam, quare illa verba non tantum omnimodam juris translationem & superioritatis inducunt, quam etiam recognitionis necessitatem, in qua Supremaris consistit. Quod si liberam indefinitamque alienandi facultatem habuisse videatur Aleramus, verbis: *habeantque potestatem tenendi vendendi commutandi alienandi,* (*b*) *pro anima judicandi, & quocquid eorum decreverit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota,* id non læsit subjectionem, imo cum his temporibus compatiebatur, nam demum sub Lothario II. (*c*) & Friderico I. (*d*) posteaquam alienationibus nimium indulgere didicerant Vasalli, eisdem interdictum fuit. Sed aliunde vel ipsa *Mundiburdonis* seu imperialis protectoris concessio, quem sibi suisque heredibus annui consecutus est Aleramus, subjectionem indicat & devotionem, sine qua consistere non concipitur. (*e*) Id quod recte innuit Sigonius (*f*)

Atque hactenus de feudis & bonis Alerami, ex quibus Marchionis titulum, quo usus est, desumi oportere, haud abs re jam supra ominabar, & modo comperta tot bonorum extensio evidentissime evincit. Non enim facile tunc hac dignitate pollebant nobiles, sed Principes Viri inclytorum ditionum accessione ita demum a ceteris distingui vocarique demerebantur. (*g*) Cave tamen putes a Montesferratensi præ alia regione Marchionem dictum Aleramum. Hæc enim solum erat Comitatus, & Comitatus nomine in Diplomate enunciatur, neque si quicquam tribuendum est illorum JCrum sententiæ, (*h*) qua Marchiones eos duntaxat Comites dictos commenti sunt, qui Maris littora tuebantur, aliter esse posset, quia Monsferratus ad littus maris non pertinet, sed tunc erat regio inter Padum & Tanarum amnes, quos non excedebat. (*i*) Nullus diplomate luculentior testis, in quo videas a flumine Tanaro usque ad flumen Urbæ & littus maris de novo concessas Aleramo Cortes, ab his distingui, quæ eidem confirmantur; quæ nempe jam intra Montemferratum possidebat Aleramus, in quo nulla re ab Imperatore donari deprehendimus, quam antea idem non habuisset. Quare cum Muratorio facio,

F

(a) *Antiquit. Med. Ævi Diss. VI col 274.* (b) *Appresso Murat. Antichità Estens. P. I cap XVIII p 172.* (c) *II. Feudor 44.* (d) *II Feud. 54 de prohib. Feudor. alien. Pietr. Giannone dell' Histor. Civil. del Regn. di Napol. lib. III cap. ultim. §. 3 p 205.* (e) *Mago de Advocat. Armat. cap II n. 263. & seqq.* (f) *De Regn. Ital. lib. VII col 441 ad ann 972.* (g) *Murator. Antichità Estens. Cap V p. 27 in fin. & seq.* (h) *II. Feudor X.* (i) *Carol. Steph. Dictionar. Historic. Geogr. v. Monsferratus col. 1377.*

cio, & Berretto non assentior Montisferrati Comitatum ad Oram usque Ligusticam extendenti hoc ipso diplomate; quo tamen nihil minus fit, & dubio procul auctori, cetera eruditissimo, potius quam diploma, Sangiorgius præivit in enarrandis Montisferrati confiniis. Sed distinguenda erant tempora, quando nempe Alerami Soboles per novos feudorum acquestus, promovit, ut ita dicam, Montisferrati pomœria, usque adeo ut ex privilegio D. Friderici I de 3. nonas Novembris 1164. Gulielmo Marchioni concesso, triginta octo Castra seu Oppida eodem contenta fuisse videantur. Nolim tamen illi JCrum sententiæ quicquam fidere, quæ doctissimis viris non sine ratione displicuit; (a) unde communiorem secutus, Marchionem nempe Comitem Marcæ, Marcæ Præpositum ad differentiam inferiorum Comitum, seu eorum, qui cuipiam tantum Civitati imperabant, mensuisse vocari, libentius colligam, non uno nomine dictum esse Marchionem Aleramum, neque sola Montisferrati ditione illius titulum definiri debere, quæ demum a D. Ottone III anno 997. Marchionatus honore indigitata est, prout equidem Berretto observatum voluissem.

Me non latet neque dissimulabo D. Caroli IV Vestituram anni 1355. pro Joanne II. Montisferrati Marchione, (b) in qua Aleramus ejusdem ditionis primus Marchio dicitur, cujus exemplo Sigonius se quoque conformasse videtur, quum ait: (c) *Aleramum generum suum Marchionem declaravit Montisferrati* Otto Imperator. Sed præmissorum firmitatem haud quaquam licet his & hujusmodi labefactere, quin potius opinari convenit, Aleramum per officium & administrationem Montisferrato primum præfuisse Marchionis honore, & non ratione dominatus; pro ut revera præfuisse consonat, qua Generum Berengarii, nondum in Marcam erecto, quo de agimus, Statu, idque esse, quod Imperator affectus, quodque dixit Sigonius, immerito vapulans, (d) & opportune usus verbo *declaravit*, verbo inquam, quo non quæ fiunt, sed quæ jam sunt facta, exprimuntur. (e)

Atque hactenus de Aleramo, a quo propagatos esse Carrettenses, veluti e diverticulo in viam rediens, pergam posthac ostendere. Reliquerat ergo filios ille superstites, ut supra patefactum est, ex secundo conjugio Gullielmum (de Bonifacio dubitavimus) ex primo autem Anselmum & Oddonem, quos inter, testamento ne patris, an jure intestati? non liquet, dividi debuit ejusdem patrimonium. Gullielmus seu etiam Bonifacius, ambo ad Montisferratensium lineam pertinent, iisque ille Status, sive quicquid illic habebat Aleramus, obvenisse videtur. Oddo vero, seu Otto decessit improlis, unde unus superest ejusdem germanus Anselmus, Alerami filius ex primo conjugio, qui hanc Gentem ducere potuerit.

Debuit

(a) *Vid. Hotomann in Commentar. de Verb. Feudal. edit. post Barnab. Brisson. de V. S. Lipsiæ 1721. fol. V. Marchiones & Murator. Antichità Estens. cit. P. I Cap. V. p. 37.* (b) *Ap. Lunig Cod. Diplom. Ital. de VI Id. Maii 1355. Cap. IV. n. 4. col. 1319. & seqq. Tom. I.* (c) *De Regn. Ital. cit. lib. VIII ad ann. 967. col. 424. & seq.* (d) *Loc. cit. in not. n. 27.* (e) *Calvin. Lex. Juridic. V. declarare edit. noviss.*

Debuit quoque hic Anselmus ceterorum bonorum heres fieri; adeoque peramplum possedisse patrimonium, & majus Gullielmo, quicquid nempe extra Montemferratum, Savonæ & in Langhis ceterisque Italici regni provinciis, quarum D. Otto meminit, tenuerat Aleramus. Non eo tamen Savonæ Marchionem eundem appellatum constat; restrictior namque ea erat appellatio; sed ut Gullielmus a Monteferrato *Montisferrati Marchio* dictus est, ita Anselmus ab Abasis Cortibus seu Vastis, desertis nempe agris (a) *Marchio Vasti*, & corrupte *Vaschi*, merito appellari. Nescio tamen, an non hoc ipso eruditissimi Muratorii (b) conjecturæ quispiam velificare volet, Savonæ nempe Marcam fuisse sub altera Genuensi comprehensam. Neque si opponam quodcumque illud Guichenonis documentum, seu Marchionis, ut ajunt, Auberti stipulata promissio anni 1061. vel 1071. de non exigendis a Savonensibus, nisi quibusdam regalibus & tributis, quicquam valere forsitan existimabitur; quippe verisimilius fuerit hic Aubertus Marchio ex Estensibus, quos aliunde in Marca Genuæ possedisse, eidem Muratorio jam evictum est.

Quicumque talia reputet, sciat velim, quod etsi ego clarissimi Muratorii vel conjecturas plurimi facere soleam, non ita tamen me eidem devinxerim, ut quoties meliora videam probemque, ea non sim secuturus. Hanc legem scio nec ipse a me exiget, nec a quoquam, unoque ducimur veritatis eruendæ studio, ut comperto antiquissimarum rerum statu, sentiant omnes quæ sibi conveniant, nec expetant ulterius, si quæ aliena sibi convenire arbitrabantur. Distincta itaque tunc etiam (c) fuit Savonensis Marca sive Status a Genuensi, nec, nisi posterioribus temporibus & post expulsos Carretenses, eidem additus est, alioquin in antecessum ad Romanos usque, clarissima & ipsa Liguriæ Urbs fuit, & apud Geographos celebris, (d) æque ac ipsa Urbs Genua & reliquæ Oræ Liguslicæ civitates, Albintimilium, Albingaunum, Pollupices, Vada Sabbatia &c. Nec minus distincta sub Longobardis, quorum immani decreto, tantæ fortitudinis invidia, qua eousque invadentibus Ligures strenuissime restiterant, (e) Rhotario Rege edicente, cum Genua, Albingauno, Varicotti, Ubitergio, & Luna funditus eversa est, vicusque vocari cum ceteris jussa. (f) Paullo post tyranno sublato, sensim restitutis illis civitatibus, Savona etiam evasit & distincta remansit ab Urbe Genua, separatasque exercuis rationes. Et ideo Carolo Magno in Provinciam reducente eam regionem, *Liguria Marca* non *Genuæ* dici repertus. (g) Sic conjuncta iterum distinxisse Caroli filium Ludovicum Pium, si Muratorio (h) adhærere libet, suspi-

F 2 cio

(a) *Pluribus Du Fresne in Gloss. Latinitatis, hoc verbo, quibus addo Caffar. in Annalib. ad ann. 1224 ibi: Superius fuit exercitus de Vastis Savonæ &c. col. 507 edit. Mediol. sup.* (b) *Antichità Estens. P. I Cap. XXVI. p. 261 & seq. & Antiq. Med. Ævi Diss. VI col. 274.* (c) *Diploma Henrici I de d. Papia anni 1014. Ind. XII apud Ughell. Ital. Sac. Tom. IV de Episcop. Savon. quod opponas Sigon. de Regn. Ital. lib. VII ad ann. 973. col. 441.* (d) *Loca colligit Cellar. Geograph. Antiq. Lib. II cap. IX Sect. I. n. LII.* (e) *Blond. Hist. Historiar. Dec. I Lib. IX p. 126. Basil. ap. Froben. 1550 fol.* (f) *Paul. Diacon. de Gest. Longobard. Lib. IV cap. XLVII & Fredigar. in Chronic. ap. Murator. Tom. I Scriptor. Rer. Italic. edit. Mediolan. 1723 fol.* (g) *Ap. Sigon. de Regn. Ital. Lib. IV. col. 211.* (h) *Antichità Estens. ut P. I. Cap. VI. p. 22.*

cio foret per tres Missos, Ermefridum, Macedonem, & Vulferium Oræ Ligusticæ, (a) quasi tribus Marchiis Deputatos. Neque antea agro Genuensi Savona unitur, (b) nisi postcaquam in dies excellens Urbs, modo Princeps, GENUA, Carretteuses de sua possessione dejecit.

Sed quis ergo fuit Aubertus ille Marchio, qui quorundam regalium caussa convenit cum Savonensibus? Inter Carrettenses sane hoc nomine suppatem nullum reperio. Novi quidem Raphaelem a Turre, inquorem licet pro his temporum circumstantiis in Finarienses Marchionesque dominos, vetustiori cuipiam Genti subdidisse eundem Marchionarum; (c) falsus tamen in ipsa veritate convincitur, quia quos voluit ex his Marchionibus commemorare, Gentis fuit Carrettensis, eosque suis locis illi familiæ vindicabunt inexorabilia documenta; unde Carrettensibus perpetim paruisse Savonam corpso emerget. Guichenonem itaque deceptum ne dicam, pro *Anselmo* Thetis filio, & nostri hujus Anselmi nepote, circa ea tempora claro, legisse *Aubertum*, facili errore in confusione nexibusque litterarum, quibus scatent vetera monumenta, (d) & in quibus non semel erravit Guichenonus, doluitque nuper tantam ejusdem socordiam in describendis vel ipsis marmoribus in insigni suo thesauro veterum inscriptionum Muratorius? an potius, quod verisimilius putem, si quid auctoritatis chartæ illi tribuendum est, conventio fuerit inter Savonenses alteriusque ditionis Marchionem, intrulum turbolentis illis temporibus, quem admodum satis præ se ferre videtur, & hujusmodi conventiones usuvenisse apud nostrates, Finariensium res gestæ cum Genuensibus sæpe confirmant.

Ceterum, ut dicebam, Marchionis Savonæ titulo appellatum Anselmum, nullo adhuc documento nobis innotuit; sed hujusmodi eundem fuisse, intermissa numquam successionis series evincet. Hoc exploratum modo ster conjugem duxisse Agnetem, filiam Comitis Pictavorum. Superest in hanc rem vetus, & Sansovino elata (e) inscriptio, in Ecclesia S. Petri de Ferrania, ab antiquis Marchionibus Vasti fundata, in qua Pictaviensis illa Comes inscribitur nurus Athalasiæ, qualem fuisse matrem Anselmi, & primam Alerami conjugem, alibi jam constitit, & amplius liquet ex memorandæ ejusdem Anselmi pietatis testimonio, nempe ex instrumento fundationis Abbatiæ S. Quintini de Spigno anni 991. ubi Anselmi parentes memorantur Aleramus & Adhelasia. Inscriptio hujusmodi est:

Hac recubant fossa matris venerabilis ossa,
Cujus erat pabulum vita boni speculum.
Hæc PICTAVORUM COMITUM stirps nobiliorum
Pulchra fuit facie, NURUS ATHALASIÆ.
Defunctoque viro, longe post ordine miro
Mundum deseruit, sicque secura fuit.

Fran-

(a) *Capitular. Reg. Francor. anni Christi 867 n. 7. col. 250 Tom. II. edit. curante Baluzio 1677 fol.* (b) *Vid. Bernard. Sacc. Ticinens. Histor. Lib. II. Cap. II. de Ligur. Origin. & Popul. per tot.* (c) *Controvers. Finar. Sect. IV. p. 93. & seq. Genuæ ap. Jo. Mar. Ferrarium fol.* (d) *Conf. ad rem Clariss. Murator. Antichità Estens. P. I. Cap. XX. p. 189.* (e) *In Origin. Famil. Carrettens.*

Francisci Augustini ab Ecclesia (*a*) nugas, luce meridiana clarintes non moror; immo doleo tantam sui irridendi nobis hoc loco dedisse facultatem.

Ex hac Agnete Thetin reliquit Anselmus, & plenus annorum decessit. De Theti conveniunt omnes Scriptores, in eo tantum diversi, quod varient in statuendo, fueritne hic Thetis Anselmi filius, & Alerami nepos, an potius pater Anselmi hujus, & genitus Aleramo. Sed post bina illa documenta, quibus patuit Anselmum immediate ab Aleramo descendisse, Thetidis filius esse non potuit; quibus si addas Aleramum nullum Thetin ex alterutro conjugio suscepisse, annorum intervallum, quod inter Anselmum, & Bonifacium, de quo mox, intercessit, eundem Alerami nepotem ex Anselmo constituere cogeris.

Fœcundus hic Thetis post sterile conjugium cum Theodelinda, sorore Stephani Regis Hungariæ, (*b*) deinde ex Helena filia Comitis Intimuli, tunc potentis in Liguria, procreavit Bonifacium, Gulielmum, Othonem, Anselmum, & Manfredum sive Manfredonem. Bonifacium Thetidis filium diserte declarat instrumentum dotationis Abbatiæ S. Petri de Ferrania, de anno 1097 in Scriptis [illegible] ensibus alias asservatum. Bonifacium Manfredi sive Manfred[illegible] atrem, & per consequens Manfredum Thetidis filium fuisse eodem instrumento admonemur. De reliquis Gullielmo, Otthone, & Anselmo Historicorum testatur consensus.

Gullielmus, Otto, & Anselmus improles decessere, Anselmum tamen uxorem duxisse mox infra dicam: de ceteris hoc circa compertum nihil habeo. Manfredus ex conjuge, de qua necdum innotuit vel nomen vel stirps, filium suscepit Henricum, indicante clausula mox antecelsi instrumenti, ubi patruus memoratur Bonifacius, & Henricus nepos · *quondam* scilicet *Manfredonis fratris sui* Bonifacii filius. Sed & hic ipse Henricus Manfredi lineam ulterius non propagavit; & proinde omnia devenere in Bonifacium, cui quoque generis tota propago commissa remansit, & ideo diligenter debet secerni a tot aliis hujus nominis Marchionibus, qui nedum in hac Gente sed per Italiam tunc temporis claruere.

Binis antea hic Bonifacius consequenter copulatus uxoribus, quarum prima nec nomine nec stirpe nobis agnita est; alteram tantum Agnetem vocatam accipimus, ejus genere necdum explorato, sterile egit utrumque conjugium. Tertiis votis deperibat ille viduatam Anselmi fratris sui. Matrimonio obstitit Gregorius VII. Summus Pontifex per Taurinensem, Astensem, & Aquensem Episcopos; ita uti supra jam attigimus, & demonstravit Franciscus Augustinus ab Ecclesia, nonnulla etiam excerpta illarum litterarum Pontificis nobiscum communicatus, apud quem (*c*) videre poterit, qui volet. Paruit, ut par erat Bonifacius, & religionem prætulit cupiditati; quare cum Adelheide Petri Marchionis Italiæ, Gentis vetustissimæ a temporibus Caroli Magni (*d*) & Francici sanguinis, tertias nuptias celebravit. (*e*)

(a) *In Coron. Regal. Sabaud. Dom. cit. P. II p. 333.* (b) *Frideric. de Frederic. In not. Famil. Ligustic. Tom. I litt. c.* (c) *In Coron. Regal. Sabaud. Dom. cit. P. I fol. 495. & seq. & P. II. fol. 324.* (d) *Holstr. Pedemont. p. 327.* (e) *Pingon. de Orig. Taurin. p. 22.*

Benedixit DEUS huic conjugio, & qui prius nullos liberos exceperat, jam longa filiorum serie foecundus, ea nempe, qua majores nostri excogitatam fabellam de septem Alerami filiis, totidemque Marchionatibus ab Ottone Magno, vel Ottone III. donatis incaute nimium recepere, Manfredum habuit, Hugonem, Anselmum, Henricum, Guillelmum Bonifacium, & Ottonem. Suus color errori, quo facilius adeo decora ingenia falleret, non defuit in promiscuis, Adelhaidis tunc etiam matris, & Bonifacii utriusque, patris & filii nominibus, septemque Marchionatibus, in quos hujus Bonifacii successores paternum patrimonium divisere; quia illud Helena primum avia, deinde Adhelais mater auxerat, vel dote vel suis bonis, plurimis jurisdictionibus, & Marchionatu Salutiarum & Buscha. (a)

Pietatis Bonifacii hæc alia habemus indicia, restaurationem Abbatiæ Sancti Petri de Ferrania, ubi Comitis Pictaviensis aviæ suæ ossa condebantur, quam præterea auxit & dotavit, ut ex paulloante attacto instrumento anni 1097 videre licet; auxit & anno sequenti 1098 plurimis bonis, id quod testatur Lerinensis historia. Illud tamen singularem Bonifacii pietatem cum mira tractandarum rerum dexteritatē conjunctam evincit, quia dissidentes Paschalem II. Summum Pontificem, & Henricum IV. Imperatorem, V. vero Germaniæ Regem, (b) ad totius orbis tranquillitatem composuit, (c) fœderique cum Imperatore cæterisque juratus subscripsit. (d) Tandem senio confectus & Savonæ ab humanis sublatus, gloriosam vitam, quam duxerat, cum æterna felicitate, ut pie credimus, commutavit anno 1130. vel 1132. (e)

Tot numero filii Bonifacii haud diutius convenere post patris mortem, quin in diversa studia & ad divisiones pertracti fuerint. Quo anno divisio contigerit, notitia melior non est, quam quæ ex initis conventionibus inter ipsos, & tunc Commune Genuæ deducitur. Has conventiones ex Serenissimæ Reipublicæ Genuensis Archivis in lucem eduxit Raphael a Turri JCtus, illarumque vetustatis auctoritatem ejusdem fidei relinquimus. Antiquior, quæ innotuit, annum non excedit 1140. & sic decennio aut octo annis post mortem Bonifacii patris inita fuit, in qua quinque enunciantur fratres Manfredus, Hugo, Anselmus, Henricus, & Oddo seu Otto; unde Guillelmus & Bonifacius separatas jam tunc temporis rationes a reliquis habuisse videntur, quippe nec illorum, nec Guillelmi descendentium, quos reliquisse constabit, contrahentes ullo modo meminerint. Ea tamen divisione non obstante Marchionum Vasti nomine, quo antea insigniebantur, (f) venerunt adhuc postea omnes anno 1184. eoque pertinet oratio coram Divo Friderico, pridie idus Martias ab Alexandrinis habita, de petendis auxiliis a proximis Civitatibus

Papa

(a) *Cit. Histor. Pedemont. loc. cit.* (b) *Muratiu. Antichità Estens. P. 1. Cap. XXIX. p. 282.* (c) *Non errat ergo Ludovicus ab Ecclesia in not. Marchionum Salutiarum MS. tribuens hoc dissidium, a Bonifacio compositum, Henrico V. scilicet Germaniæ Regi.* (d) *Sigonius de Regn. Ital. lib. X. col. 629. & sequ. Sexius in not. n. 16.* (e) *Augustin. ab Eccles. in Coron. Reg. Saband. Dom. P. I. p. 513. & 515.* (f) *Liquet id ex antiquis tabulis, ab Episcopo Salutiarum relatis in Coron. Regal. Saband. Dom. P. I. fol. 504.*

Papia, Derthona, Hasta, Alba, Aqui, Casali, & a Marchionibus VASTI, Boschi, & Ocimiani. (a)

Porro quid prædicti fratres ex bonis paternis inter se diviserint, satis ex portionibus intelligimus, quæ unicuique obvenere. Habuerunt itaque Manfredus Marchionatum Vaschi & partem Salutiarum: Gulielmus Marchionatum Buschæ & Vallem Macræ una cum altera parte Salutiarum: Henricus Marchionatum Savonæ, & plurima Langarum oppida. Bonifacius Marchionatum Curtis Æmilii cum omnibus suis pertinentiis. Hugo Marchionatum Clavexanæ, seu Clavexanæ, Anselmus Marchionatum Crevæ, Otto denique dictus *Boverius* Marchionatum Loreti, situm prope Tanarum inter Hastam & Albam, qui multa castra sub se continebat, Favinerias puta, Mattarelum, Petinum, Sanmajolum, Cavorium, Saxum, Montepevteredum, Bionatium, Pontem, Spuroanam, Cavarolium, Marcolengum, Perizonum, Castrum Arduinorum, Castagnolas Lancearum, Costiliolas, & quam plurima alia, alioquin omnibus ferme antiquis bellis penitus eversis, usque adeo ut nec ubi locorum fuerint hodie amplius innotescat.

Quamquam autem ita uti diximus divisi fuerint prædicti fratres; demtis tamen Bonifacio & Gulielmo, reliqui communia bona retinuere. Evidentissime hoc apparet ex Loreti Marchionatu, quem in Ottonem devenisse, omnes jugi consensu conveniunt, & tamen non ille solum Loreti Marchio, sed Henricus quoque & reliqui fratres hujusmodi dicuntur. Ex Caffaro ad rei probationem pauca hæc adscripsisse sufficiet. *De Nabulensi vero castro*, ait ille, (b) *quod in eodem anno a Marchionibus de Loreto actum est, absolute tradendum non est.* Qui fuerint isti Marchiones, ostendunt leges conventionis cum Serenissi. Genuæ Republica initæ de eodem negotio año 1155. ibi: *Nos Marchiones, Manfredus, Henricus, & Otto Boverius &c.* Pergit consequenter Caffarus: *ideoque viri præsentes & futuri cognoscant, quod Henricus Marchio de Loreto habitaculum civitatis Januæ & Sacramentum compagnæ &c.* Hoc Sacramentum etiamnum extat, suique interpositum anno 1148 & ab eodem Raphaele a Turri (c) evulgatum. Id vero nunc tantum volo, & satis ostendisse confido, ad hos fratres pertinuisse Marchionatum Loreti, non aliosque esse Loreti Marchiones, quam hi, jam nobis relati, a quibus progenitos esse Carretenses suo loco evincam; adeoque quæ de Loreti Marchionibus traduntur, recte Carrettensibus attribuisse cum Justiniano insignem Annalium Genuensium auctorem Foglettam, & consensisse cum Caffaro, quod perperam negabat idem Raphael a Turri, iniquo supercilio negligentiæ eundem insimulans. (d)

Priorem illam divisionem Bonifacii patrimonii alia subdivisio secuta est, decedentibus Hugone, Bonifacio, & Ottone nullis relictis liberis. Tunc Marchionatum Clavexanæ, qui fuerat Hugonis; alterum Curtis Æmilii, qui fuerat Bonifacii, tertium denique Loreti, qui Ottonis, superstiti-

(a) *Sigon. cit. de Regn. Ital. lib. XIV ad ann. 1184 col. 851. & ibi Saxius in not. n. 65.* (b) *Annal. Genuens. lib. I ad an. 1154* (c) *Controvers. Finar. inter document. Litt. T 2* (d) *Cit. Controvers. Finar. Sect. IV. p. 91*

perstites fratres inter se partiti sunt. Anselmo, Cævæ Marchioni, Clavexanæ Marchionatus potior pars obvenit, genuitque filios Bonifacium & Gulielmum. Bonifacius patre functo nomen Marchionis Clavexanæ cum Marchionatu assumpsit, & dominatus fuit Unelıæ, Tabiæ, Plebi Theucæ, Portui Maurito, Andoræ, Diano, aliisque castris & locis in ipsa ora, & respective inter montana occiduæ Liguriæ, quorum pars ab Helena, filia Comitis Intimilii processisse non abs re videtur; atque hic est, qui familiam duxit de Clavexana. Gulielmus secundogenitus, suscepta possessione Marchionatus Cævæ, inde quoque nomen sumpsit, & Marchionum de Cæva auctor fuit.

Henricus patruus mox dictorum Marchionum, & frater Anselmi, pro sua portione in Marchionatum successit Curtis Æmilii; & ceteri fratres Manfredus & Gulielmus reliqua bona habuere; & adeo Marchiones Saluciarum & Buschæ plura oppida in Langhis habuisse reperiuntur, nec non Marchionatum Loreti, de quo tamen hodie vix aliquid compertum habemus. Uno itaque stipite hi omnes derivantur, eodemque pertinent variæ, quas singuli duxerunt lineæ, variis quoque distinctæ cognominibus, sed non aliis, quam quæ insigniora Castra & Oppida suppeditarunt, quibus dominabantur. A Salutio ergo dicti fuere *Marchiones Salutii*, a Cæva Cævæ, a Marchionatibus Clavexanæ & Buschæ, *Clavexanæ* quoque & *Buschæ Marchiones*; prout etiam illi *Incisæ*, *Buschi*, & *Ponzoni* ab eorum jurisdictionibus appellantur, & similiter *Savonæ Marchiones* ab Urbe Savona, unde qui antea communi Gentis vocabulo audiebant tantum, prout hactenus innuitur, *Marchiones Vasti*, (a) peculiari propriique singuli distingui cœpere.

Idem prorsus fuit in Gentilitiis insignibus; nam quæ forte gestavit Aleramus, aut militare vexillum (b) Gentis Saxonicæ, argentea scuti area distinctum, cui coccinei coloris caput superimponebatur, quale diu post retinuere Montisferrati Marchiones, aut symbolum alterum Saxonicum in argenteo scuto, quatuor trabibus furvi coloris inter se æquidistantibus instructum, prout adhuc extat in Sacello Ecclesiæ Abbatiæ Grazani, ubi conditur Alerami cadaver, exolevere quodammodo apud ejus posteros, ita tamen ut vestigia saltem illorum insignium retinuisse videantur. (c) Ad pleniorem rei demonstrationem, & quia hæc notio regulariter alterum est ex præcipuis unitatis familiarum indiciis, indeque etiam solet elucescere, qui vere manarint ab unoquoque stipite, a quo derivari gestiunt; (d) item quæ lineæ pro legitimis haberi debeant, quæ non, tabellam excudi curavimus, per opportunum quæstioni nostræ subsidium, ut ea sibi solis servent perpetuo posteri legitimi Carrettenses, neque sinant iterum, quod alioquin antea factum est, Nothos, & Spurios iis promiscue sine ullo discrimine abuti.

Appa-

(a) *Antiqua tabula videntur apud Episcop. Salutiarum in Coron. Regal. Sabaud. Domus P. I fol. 374.* (b) *Benevenut. Sangiorg. Chronic. Montisferrat fol. 29.* (c) *Spener Oper. Herald lib. I Cap.* XXXIX. § *XIII p. 226.* (d) *Limbyer cit. Diss. de Probat. per Insign. & Arma Cap. III §. 27. p. 274. & seqq.*

Ad pag. 29 *Monud.*

STEMMATA GENTILITIA
NEPOTUM ALERAMI SAXONIS.


DUC. SAXON.



MARCH. MONTISFER.




SCHEMA ALERAMI
in Sacello Gratianensi.



MARCH. SALUTIAR.



MARCH. CLAVEXANÆ



MARCHION. CÆVÆ.



MARCHION. SAVONÆ
Antiquum.



MARCH. BUSCHÆ.



MARCH. CARRETENS.
Modernum.





Apparent primo in hac tabella hodierna Saxoniæ Ducum insignia, ea nempe quæ volunt militari vexillo fuisse antiquiora, (a) seu scutum pluribus trabibus transversis distinctum, superinductumque rutaceum sertum oblique a dextera ad sinistram Rutaceum sertum si demas, idem hoc cum illo Alerami in Grazanensi Sacello. Trabium numerus, quod moneam, apud Saxones nunquam perpetuus fuit, idque arguunt bracteati illorum nummi, quibus nunc tres, iterum quatuor, plerumque trabes numero quinque apponuntur. (b) Dissensio etiam est de colore, qualis esse debeat, nigræne trabes in aureo scuto ut refert Bekmanus: (c) an autem nigrum scutum & aureæ trabes? quod asserendum assumpsit Ludovicus Petrus Giovanni. Parum hæc ad negotium, quo de agimus, pertinent, aliisque jam abunde sunt excussa, eaque idcirco intentata relinquam.

Sequitur hoc Schema alterum Montisferratensium, seu militare Saxonum vexillum, quale paulo ante descripsimus. Tum illud, quod in Sacello Grazanensi est, idemque jam nobis expositum, convenitque cum altero præcedenti Saxonico. Horum alterutrum aut utrumque prout Alerami certe fuit, utique si Montisferratenses Saxonum trabibus perpetuo usi sunt, si vetustissimum est illud Grazanensis Abbatiæ, neque restauratorum licentia recentius appositum; ita ab opposito dubium admodum fit, quid Alerami filii & nepotes extra lineam Montisferratensium, seu Marchiones Vasti adoptaverint in insignia, Anselmus Alerami, Anselmi Thetis, Thetidis Bonifacius, & Bonifacii liberi ante divisionem. Hieronymus Henninges (d) ex fide, ut puto, Francisci Sansovini, (e) apud quem tondem scripta reperio, Carrettos narrat, antiquitus usos esse in eorum stemmate purpurea rosa, & quandoque rota, quatuor aliis minoribus vallata, quod, si detur, antiquiorum Saxoniæ Ducum hoc prope fuerit stemma, cuitus nempe. Carretos vulgo ajunt, qui fuerant Marchiones Vasti, a quibus demum, ut mox infra liquebit, orti fuere Carretenses; & ita memoratos Scriptores oportet intelligere, quia post assumptum Carretensium nomen paullo diversa reperiuntur illorum insignia; unde necessario antiquiora illa fuisse debent, quando nempe insignia gentilitia minus adhuc frequentabantur, sed, quod libuisset, quisque sibi assumebat.

Posteaquam vero circa hæc Friderici I. tempora, (f) eadem æque ac cognomina familiarum hereditaria fieri voluerunt, Bonifacii liberi, iidem qui cognominum singuli suis lineis fuerant auctores, extitere quoque insignium; & Marchio Salutiarum elegit argenteam scuti aream cæruleo capite dissectam: Clavexanæ Marchio aureum scutum, distinctum cæruleo capite: ille Cevæ sex trabes, tot aureas, quot furvi coloris, sed alternatim positas, ad similitudinem Symboli Saxoniæ Ducum. Marchio Savonæ Saxonica insignia

H resti-

(a) *Ludovic. Petr. Giovanni German. Princeps tot Insign. Elector & Duc Sax. herald* § 2. *fol.* 250. (b) *Ludov. Petr. Giovanni loc. cit.* (c) *In Histor. Anhaltin. P. IV. cap.* 5. *p.* 521. (d) *In Theatr. Genealog. Tom. IV. p.* 493. (e) *In Orig. famil. Illustr. de famil. Carrettens.* a *pag.* 317 *ad* 328. (f) *Post Fevinum & Martin. Crusium Theod. Hoping de Jur. Insig. cap. III. n.* 63.

restituens, a Marchionibus Vasti ita ut diximus immutata, factus est carrum, quatuor rotis vallatum in aureo scuto, cui decursu temporis aliqua ejusdem descendentes addidere, quæ scilicet in moderni stemmatis typo expressa sunt. Marchio denique Buschæ Gentilibus suis symbolum quatuor palis aureis, quatuorque alternis cocciociis extructum reliquit.

Cum his conferentur Arma Saxonica exemplo subolet, quod tametsi omnes inter se, & a ceteris distingui voluerint, fuerint tamen æque solliciti communis Saxonici stipitis memoriam ad seram usque posteritatem propagare. Nihil est in ullo, quod fundamento saltem Saxonicum non sit, & tota diversitas, aut in colore consistit, aut in trabium numero, vel apud ipsos Saxones incerto, illarumque varia positione, quæ omnia ad discrimen familiarum, aut pro libitu, aut, quod magis sibi ex rebus tunc gestis conveniret, unusquisque assumpsit. Exemplum video in Marchionis Savonæ nepotibus, quibus bellica patris virtus & rerum præclare gestarum gloriosa recordatio, occasionem dedit eligendi inter arma ea, quæ si stipitis Saxonici memoriam conservarent, non minus tamen ostenderent, quæ pater egerat strenue, quæque deinceps latiore stylo prosequemur, quia cum ceteris post ostensam illorum originem, ab eodem videlicet cum Carrettensibus stipite derivari, non obstante qualicumque cognominum insigniumque varietate, nihil amplius erit negotii, quippe tantum Savonæ Finarii Clavexanæ &c. Marchionum lineam enucleare nobis incumbat.

Curru igitur Saxonum antiquo, a Marchionibus Vasti nonnihil antea immutato, ab Henrico demum Savonæ Marchione restituto, illa addiderunt nepotes, quæ cum pater Henricus, tum ipsi gloriosis gestis familiæ perpetuo vindicaverant. De additis ex gestis Henrici Marius Philelphus auctor clari nominis apud eruditos, in accuratissimis illis Belli Finariensis Annalibus, medio ferme seculo XV. conscriptis & adhuc ineditis, hæc habet libro primo. *Hic autem Guercius* (hoc enim omine veniebat Henricus, ut mox infra) *cum antea curru quodam Carretti uterentur, signo, quod & ipse vidi Niciæ in transalpina Gallia in quodam granduisculo argenteo numo ac pervetere, his verbis circumscripto*: HÆC EST MONETA DOMINORUM MARCHIONUM DE CARRETTO, *quodam Turcarum devicto Principe, turbei signum sibi suisque vindicavit, quod nunc gerunt quinque rubentium baculorum in aureo campo.* *Turbeum* barbare vocat, quod nos Itali vulgo dicimus *Turbante*, & latine diceremus *Tiaram*. (a) Omnia luculentius executus est, unde hoc ipsum etiam patet, auctor Anonymus MS. cujusdam, quod incipit *Marchionum Finarii Savonæ Originem a Regibus, Imperatoribus &c.* illorumque genesim prosequitur ad Alphonsum usque II. in quo desinit, cujus tempore se scripsisse satis ostendit. Ita itaque is ait: *Principe illo interfecto* (loquitur de eadem Henrici victoria) *ejusque turbinato diademate, id scuta, æqualibus aureis purpureis spatiis distincta, ad perpetuam tanti certaminis memoriam, a quo alterutrius exercitus Christiani vel Saracem salus pendebat, super insignibus gentilitiis depicto, in grandiori*
rota

(a) *Vid. Matth. Martin. Lex Philolog. v. Mithra*

rotæ locum, quæ primo quatuor aliis minoribus vallata, a binis leonibus, ut etiam hodie cernitur, in summam parvi triumphalis Carri (currus) *unde cognomen de Carretto, sumpserunt. Ad mutatum violenter pertractum* (currum) *laboriosissimos fortunæ casus, quibus cum sua, tum Imperii jura essent subjecta, animi magnitudine atque constantia superandos hieroglyphice demonstrant, in scuto gestabant.*

Perspicacissimo loco clariora non addam, nisi forte ostensurus singula in eo contenta sua veritate constare, exagitatosque Carretenses pluries & plures ob intemeratam fidem devotionemque Sacro Imperio, ea vellem heic congerere, quæ posteriore ætate contigerunt. Unum amplius superest in modernis Carrettensium insignibus, quod adhue attactum non est, & præterire non potest, Aquila nempe biceps, fulvi coloris, eminus superimposita, in cujus pectore micat aureus ille campus cum quinque rubeis baculis ad Henrici memoriam receptus. Bene conveniebat, unaque ferme antea deerat Aquila iis, qui non tantum immediatæ subjectionis honore inde a vetustissimis seculis Sacro Romano Imperio intemerata fide paruere, sed ipso Imperiali sanguine Saxonicæ Gentis propagari demeruerant.

Redeo jam ad Henricum, cujus fortitudo adeo suis posteris chara, non minus valuit apud æquales & synchronos, *Guerci* omine illi tributo a cicatrice, eodem ipso duello recepta, quo de Saraceno Principe triumphavit. Omen in cognomen vertere, totamque rem in dubium revocare omnibus viribus, sed irrito conatu studuit Genuensis Advocatus Raphael a Turri in celeberrimis de Sale controversiis, (a) quæ, ratione Marchionatus Finarii, inter Potentissimos Hispaniarum Reges, & Serenissimam Genuensem Rempublicam annis plus abhinc centum agitatæ fuere, quo posset inferre Savonæ Episcopatum, eodemque olim comprehensam Finarii Provinciam, non jure imperialis feudi Ottoniano Diplomate, sed instar alodii per feminas, minimum *pretio, vel alia quapiam ratione, certe non hereditaria successione* devenisse ad Successores Alerami. Monumentorum defectus, & hinc consequens obscura notio præcedentium Bonifacii conjugum opportuna proposito visa est, in eaque comminiscí putavit idem auctor, alteram ex his uxoribus Bonifacii familia Guercia, clara tunc inter Genuenses & consulari, genitam fuisse, ex eoque conjugio susceptum Henricum, ex matre Guercia *Guercium* fuisse vocatum. Genuensium annalium auctores, uno demto quodam loco Justiniano, (b) hac appellatione Henrico tribuenda prudentes abstinuisse videntur, ne fieret personarum confusio ob alios Henricos Guerciæ stirpis, qui apud illos memorantur, contenti iccirco eundem *Vasti*, vel *Loreti*, vel *Savonæ Marchionem* appellare. Non prætermisissent tamen vel levi indicio hanc appellationem ad augendum ingrati animi crimen, ubi præscitum in hunc Henricum linguas acuerunt, si modo adeo felices eadem cum Turri opinari potuissent.

 Nihil

(a) *Sect. IV. p. 96. & seqq.* (b) *Annal. Genuens. lib. II. fol. 73. ad ann. 1172.*

Nihil opus ambagibus. Si Henricus a matre Guercia natus, *Guercius* dictus est, duos natu majores Hugonem nempe, & Anselmum ex primo conjugio suscepisse debuisset Bonifacius, deinde ex altera conjuge hunc unicum Henricum; & quatuor reliquos, qui Guercii dicti non sunt, ex Adelheide. Mirandum ergo subeunt, cur consanguinei fratres, & non germani, in tot conventionibus & contractibus, invicem numquam distinguantur: cur hic Henricus ante annum saltem 1147 *Guercius* numquam dicatur, qui tamen aliter antea quoque hujusmodi dici debuisset. Clarissimus & elegantissimus Scriptor Annalium Finariensis belli Marius Philelphus de omine Henrici Guercii hæc nobis testata reliquit. *Henricus, Guercius cognomento, quod oculo, cum esset in Turcia, ubi acriter pro Christianam fidem dimicarat, diminutus, primique Abrami æmulus, nullum virtutis probitatisque gradum intactum incognitum inexercitatumque prætermisit*. Et Anonymus etiam ineditæ originis Marchionum Finarii, de quo paullo ante dicebam. *Henricus in expeditione Syriaca adversus infideles, Conradi III. Imp. auspicia secutus, Cocltis indi nomen gloriosissimi reportavit, cum in duello, quod contra Joppam Principem Saracenum in utriusque exercitus conspectu pro Christianitate sumpserat, alterum oculum amisisset*. Ab his testimoniis haud procul absunt tabulæ Investiturarum D. Friderici I. eidem Henrico concessæ anno 1162 ibi: *Qui personarum periculo usque ad sanguinis effusionem, & rerum dispendio pro Imperii honore fideliter decertaverunt* &c. ex hoc textu liquet militasse Henricum Guercium pro honore Sacri Imperii, quod eo nomine susceperat Conradus Aug. sanguinem eo bello fudisse, quia Fridericus id fecerit ab aliis, quibus servitia sibi præstiterat Henricus; unde præcedens illa traditio hac altera synchroni Imperatoris in substantia saltem confirmatur, eidemque jure adversari nullo modo possumus.

Expediam modo quæ fuere Genuensis Advocati fundamenta: *Ab aliquo vero*, inquit, *viri debuit flammæ Henricum, fabea voce Guercium nuncupatum illa respuit ratio, quod proprium est, ut hujusmodi corporis vitia in viris illustribus omni arte dissimulentur declinenturque, quam ne rerum memoria, ipsis dictantibus & jubentibus, per publica documenta ad posteros propagentur. Suspicor ex uxore Guercia susceptum Henricum filium, Guercium dictatum a patre Bonifacio, eum discriminante præcipue a ceteris ex priori uxore natis, quod usurpatum vidit antiquitas in filiis, quos a Salonia suscepit Cato major*. Ablegari mereretur ad Sigonii libellum, vel pueris notum, *de nominibus Romanorum*, nisi Historiæ Romanæ non vulgarem peritiam eodem contextu affectans, pro sua caussa, & ex joco magis quam serio indoctis mentiri voluisse demonstrasset. Scilicet moris olim fuit, non tantum Romanis, sed quibuscumque temporibus usurpata fuere cognomina, eadem non minus a vitio corporis, quam a quolibet alio accidenti desumere, exempla extant innumera: vetustiora collegit Alexander ab Alexandro; (a) recentiora Ducangius, (b) & celebris nuper Ludovicus Antonius Muratorius;

(a) *Genial. Dier. lib. I. cap. IX.* (b) *In Glossar. Latinit. v. Cognomen & verb. Supranomen*

toriis; (a) unde eo magis hoc omen tantæ gloriæ, quod jure omnes aucupari gloriarentur, leniter ferre, imo gratanter habere potuerit Henricus.

Non tamen ad ejusdem Successores transiit in cognomen, ut plerumque accidit; sed nec illud *Marchionum Savonensium* diu mansit pro cognomine Gentis, imo invaluit alterum *Carrettorum & Carrettensium*, cui occasionem dederant Saxonica insignia, ab Henrico restituta, & appellationem Marchionum Savonæ ii tantum sibi vindicarunt, quibus pro sua parte obtigit Savona, eidemque dominabantur, aut soli, vel cum liberis adhuc in potestate, vel plures fratres ante divisionem. Clausulæ conventionum cum Serenissima Genuensi Republica de anno 1182. (b) *Ego Henricus Marchio Savonæ*; & paullo infra: *Nos Marchiones Otto & Henricus filii Henrici Marchionis.* In altera vetustiore anni 1181. *Conventio est inter D. Henricum Marchionem Savonensium, & D. Comitissam uxorem ejus, & suos filios, scilicet Oddonem & Henricum.* Post divisionem hic ipse Oddo seu Otto, ejusque filius Hugo, *de Carretto* duntaxat dicuntur in una anni 1202. *Nos Hugo de Carretto filius Domini Ottoni Marchionis de Carretto &c.* & sic universim omnes de Carretto porro & semper appellari cœpere, posteaquam vocari Savona steterunt; nisi quod ad indicandam civilem possessionem, quam animo retinent illius ditionis, *Marchionum Savonæ* nomen conservent perpetim in tabulis contractuum publicisque instrumentis; & DD. Imperatores, eorundemque pro tempore excelsi Senatus Imperiales Aulici eos revera ejusmodi enunciarint & enuncient in privilegiis vestitus actibusque judicialibus.

Dissentio iterum a Genuensi Advocato, qui posteaquam paullo-ante venditaverat non pertinuisse Savonam jure Ottonianæ concessionis ad Alerami filios, alterum modo sollicitat, Carrettenses non fuisse lineam Marchionum Savonæ, sed ab his tantum distare, quantum Carrettum (pagus) Savona distat, a quo Carrettenses contendit appellari. Dixi & ajo Henricum Guercium posteris suis hujusmodi quoque cognominis primum extitisse auctorem a Curru Saxonico, quem in gentilitiis insignis restituerat, a quibus *Marchio Carrettus*, vel *de Carretto* dictus est, quia currus barbare *Carrum*, italice *Carro*, & frequentius diminutive *Carretto* dicitur: unde qui currum gestabat *Carrettus*, vel *de Carretto*, vulgo audiebat; sicuti *Marchiones Lanceæ* audierunt a *Lancea*, quam Manfredus ex Dominis Aquosanæ & Alani Friderico II. Cæsari deferebat, ut similia sexcenta prætereum, (c) & per consequens Carrettum pagum a Carrettensibus Dominis fuisse vocatum, potius quam hi ab illo vocari debuerint. Anonymi locum in hanc rem jam dedi Conventionum quibus Advocatus utebatur, cum sensum elicuimus, ut neminem posthac eisdem usurum confidem, Carrettensium Marchionum appellatio, in Annalibus Genuensibus apud Bartholomæum Scribam non ante annum a reparatione humani generis millesimum ducentesimum quadragesimum, si eidem Advocato

I fides,

(a) P. I cap. XXVI. p. 255. (b) *Has omnes edidit Raphael a Turre. Controvers. Finar. inter Dominum litt. S. & litt. X.* (c) *Plura vid. ap. Lucam Cortil. delle Armi delle Famegl. p. 17. e dell' Orig. delle Armi p. 18. Spener. Oper. Herald. P. General. Soll. P. I. Membr. I p. 284. & seq.*

fides, non occurrit, vetustior apud eundem est (a) diligentius inspicienti. Quod si hoc amplius velit, Henricum Guercium appellatum *Carrettum* testimonio probari, sponsorem prædemque dabo Sigonium accuratissimum, ut in confesso est, & diligentissimum historiographum. *IV. Idus Junii ait, antiqua jura Henrico Carretto Marchioni Savonensi firmavit* Fridericus Ahenobarbus, *præsentibus Episcopis Italicis, Garsedonio Mantuæ, Anselmo Hastæ, Arcardo Parmæ, Syro Papiæ, & Aquino Derthonæ.* Syri nomen, quod incidenter moneam, in aliis exemplaribus *Silvis* legitur, rectene, an non ? celeberrimo Saxio decidendum relinquam.

Scilicet Sigonius eo loco respexit ad D. Friderici investituram, Henrico Guercio concessam anno 1162. (b) posteaquam ob liberales præcedentium Principum concessiones, eorundemque in conservandis Imperii juribus, in Italia præsertim, sive negligentiam, sive non fortunatos successus, omnia propemodum exoleverant, & primores Itali potentesque civitates ibant sibi usurpatum, ut narrat post Radevicum (c) etiam Sigonius. (d) Ac Henricus quidem suæ originis memor, donatosque majores suos ab Imperio beneficiis, quibus etiam tunc fruebatur, egregia ostendit grati animi documenta, nedum militando arduis belli periculis pro dignitate Imperii, cum ab eodem D. Friderico, tum a præcedentibus Romanis Principibus susceptis, de quibus jam nos nonnulla attigimus, & frequenter honorificentissime meminere cædem tabulæ vestituraium, sed maxime abdicando se impigre & non segnier a regalibus & feudis, eadem ab Imperio recogniturus, antequam ceteri Italorum Imperatori obsecuti fuissent. Numum argenteum nobis servavit egregius annalium Finariensium auctor Marius Philelphus cum epigraphe & insignis *Dominorum Marchionum de Carretto*, quem his argumentis Henrico putem vindicari. Recentior non est Fridericiana investitura, qua jus monetæ concessum non habuit Henricus; adeoque nec referri potest ad ejusdem posteros; quippe ex his demum Alphonsus I. Finarii Marchio jus illud obtinuit (e) post Marii nostri ætatem anno 1496. & ab evulgatis Annalibus hisce quadragesimo tertio. Accedunt antiqua, & Henrici Guercii insignia, quæ clamant, & præ omnibus Marchionum fides cautioque in juribus Imperii, ut ex his nihil sibi verisimiliter arrogasse neminem, historiarum periti omnes mihi consentient. Tempora quæ præcessere Henricum & divisionem paterni patrimonii cum fratribus, utique non ferunt illum numum, si tunc Carrettensium proavi Marchiones Vasti tantummodo audiebant, si alterius formæ cum utebantur instar insignium. Ergo, quod reliquum, Henrico dabitur primo restituti illius Gentilitii stemmatis auctori, a quo & ipse & poste-

(a) *Caffar. seu ejusdem continuator Bartholomæus Scriba ad ann.* 1223 *in annalib. lib. IV. col.* 436 *& ad ann.* 1223 *lib. V. col.* 482 *& ad ann.* 1225 *lib. VI. col.* 439 *& ad ann.* 1226 *col.* 441 *& ad ann.* 1227 *col.* 445 *& seq. & 448. & ad ann.* 1228 *col.* 455. *& ad ann.* 1229 *col.* 460. (b) *Cass. ap. Lagum. de Re Salar. Finar. inter Documenta p.* 223. *Papiæ ann.* 1632 *fol. & ap. de Turri Controvers. Finar. inter Docum. Lit. n.* 2 *p.* 108 *& ap. Lunig. Cod. Diplom. Ital. Cap. VI. col.* 1125. *Tom.* 1. (c) *Lib. II. cap. V.* (d) *De Regn. Ital. lib. XII. ad ann.* 1158 *col.* 740. (e) *Videatur D. Maximiliani I. investitura de* 8 *Decembr. ann.* 1496. *apud Lunig. cit. col.* 2242. *& seqq.*

posteri qui Carrettenses dicti sunt. Ac eundem exemplo aliarum Principum id juris sibi arrogasse nulli miramur, quod eum ceteris Italiæ, concesserat suis majoribus Otto Magnus, (a) & signanter luculentissimis clausulis in Diplomate pro Aleramo Marchione & successoribus, ibi: *Venationibus pedagiis, teloneis, omnibusque publicis functionibus, vel etiam quæ dici vel nominari possint, ad easdem res & proprietates, seu Cortes vel Castella pertinentibus, vel adspicientibus &c.*

Aliud agentes fortissimum aliud argumentum nacti sumus adversus Genuensem Advocatum Raphaelem a Turri pro conjungendis Carrettensibus cum Marchionibus Savonæ. Sed hæc de re hoc loco non amplius, quia sero aliquando tamen monumentum eruerit, Conventio videlicet inter D. Henricum de Carretto & Commune Savonæ de 8. Kal. Novembris 1179 ibi: *Hæc est chartula concordiæ, & conventionis inter Dominum Henricum de Carretto, & Commune Savonæ &c.* Henricum cariisse hunc Marchionem Savonæ, omine *Guercium*, adeoque eundem dictum *de Carretto*, ex epocha ejusdem conventionis percipimus, eoque magis ex promissionis instrumento ipsius Henrici cum Oddone & Henrico filiis, rogante Arnoldo Cumano Sacri Palatii Notario; unde clausulæ: *Ego Henricus Marchio Savonæ una cum filiis meis Oddone & Anrico &c. Nos vero Guido Savonensis Episcopus & Unichus, Iulocellus, & Embinus Derdonæ, mediatores inter Dominum Henricum Marchionem Savonæ cum filiis suis & Populum Savonæ &c.* Omnia in originali asservantur in Archivo sive Registro Communis Savonæ, omnibusque patent invenientibus. Igitur hoc ita firmato, ut in dubium amplius revocari non possit, non abibo posthac longius Henrici obsequio erga S. Romanum Imperium, quod si caussæ fuit, ut ipse heredesque ejus numis cudendis abstinuerint, adeo raris obeam rem, ut diligentissimo Muratorio (b) nulli innotuisse videantur, majorem inde famam reportavit Henricus, quia ad restim adacti Principes Itali, coactique Victoris jura agnoscere, celeberrimæ pacis Constantiensis actorem mediatoremque eundem adesse gavisi sunt, (c) quem apud Imperatorem plurimum fide & gratia valere non ignorabant. Vices egit Henricus mira dexteritate: consuluit Patriæ & amicis, Italiamque felicissime & gloriosissime reconciliavit Imperio, quæ tamen omnia postmodum accidere.

Præcessit namque mira nec silentio prætereunda Henrici fortitudo in adversis, eo ipso tempore, quo rem bene gerebat Christianæ Reipublicæ, occupatus Syriaca Conradi Augusti expeditione. Rem totam distinctissime narrant Marius Philelphus in annalibus, & Anonymus auctor Genealogiæ Marchionum Finarii. Summa huc redit: Genuensem Rempublicam, finitimosque Principes totam occupasse Guercii Provinciam, eoque facto revocatum illum in Italiam, tanquam a triumphis ad injustam vexationem compescendam, ultro Urbes omnes, omnia Oppida & Villas, occupatoribus derelictis & expulsis, rediisse in ejus dominatum, a quo falso mortis rumore desciverant; usque adeo suos sibi habebat devinctos Henricus

I 2

(a) *Sigon. loc. cit.* (b) *Antiquit. Med. Ævi Diss. XXVII. Tom. II.* (c) *Sigon. de Regn. Ital. lib. XIV. ad ann. 1183. col. 815.*

cus humanitate & comitate! Quæ autem fuerint Urbes, Oppida & Villæ angit nos hoc loco quæsito, si Genuensem Advocatum Raphaelem de Turri audiamus; (a) non prætermittenda tamen, quia aliunde instituti nostri ratio exegisset tandem aliquando de Guercii patrimonio disquirere, propiore, & novo veluti jam stirpe Marchionum Savonæ Finarii Clavezanæ &c.

Sine dubio notitiam hujus rei non expiscabimor certiorem, quam ex paulloante memoratis tabulis Fridericianæ Investituræ, eidem huic Henrico concessæ, ubi Imperator ait, per rectum feudum illum investire *de hoc toto, quod Marchio, Bonifacius pater ejus habuit in Civitate Savonæ, & in Marchia, & in Episcopatu, & in toto districtu prædicta Civitatis & Marchia, sive in Castro & in Civitate: in mari & in terra, & in communi &c.* Cumprimis moneo fidem hujus documenti frustra vellicasse Advocatum, cujus archetypon servat Registratura Imperialis Aulica latina, indeque migravit in ceteras subsequentium Imperatorum vestituras: tum perperam & contra manifestam veritatem quemcumque obtiti, quoties Savonam ipsamque Marchiam cum Episcopatu bona neget, Henrico a Bonifacio patre profecta, quia præcedens investituræ clausula, cum tot aliis, quæ sequuntur, dubitationem omnem præcludunt ibi: *quas idem Henricus Marchio Savonæ tenet, vel ei pertinent, quæ de possessione prædicti Marchionis Bonifacii dignoscuntur fuisse &c.* & mox: *in prædicta Marchia Civitate & Episcopatu, & in omnibus Marchionat possessionibus, quæ ei pertinent, vel ei pertinuerunt ex parte patris sui vel aliunde quocumque modo dici vel possunt nominari &c.*

Post hæc indagantibus nobis ex hoc Fridericiano Diplomate de bonis Henrici, id statim opponit Advocatus, non omnem Savonæ Marchiam fuisse Henrico confirmatam; sicut nec antea fuerat concessa illo Ottonis. Unicum habuit scopum, ut sibi admitteretur Finarium utraque investitura non comprehendi, & tandem, Finarium non esse Feudum Imperii. Ottoniano diplomate, ut illinc incipiam, Finarium quoque contineri, limites indicant, qui Alerami jurisdictioni assignantur, & captiose omnium Advocatus, nec pro JCti dignitate misere torquet verba Sigonii, (b) ejusque jactat fulciri testimonio ad perpetuum optimi Scriptoris ludibrium. Sigonius ait Ottonem declarasse Marchionem Montisferrati Aleramum, & ejus Marchionatus amplitudinem extensionemque ostensurus, *quæ regio*, inquit, *eo jam tum nomine inter Padum & Tanarum vocabatur.* Non ergo magis prosecutus est ille limites Ottonianæ concessionis, quam potius Provinciæ vastitatem, cui Aleramum præesse jusserat Imperator; ut potius videatur Montisferrati nomine reliquas Marchias & Comitatus comprehendere, utique patenti errore, quam illis exclusis largitatem Ottonis interpretari de solo Montisferrato. Iterum vero quum ait sub Ottone III. *Marchionis Montisferrati filios Cevæ, Saluciarum, Boschi, Ponzoni, Carelli, & Buschæ Marchiones* effecisse, modi facti veritas subsisteret, illud sequeretur, eosdem illis feudis cum dignitate Marchionali ornas-

(a) *Controverf. Finar. cit. Sect. IV. cap. XXXVII. p. 322 & seqq.* (b) *De Regn. Ital. cit. lib. VII. ad ann. 967. col. 425.*

ornasse; non autem illa bona eisdem suæque Genti primum esse impertitum.

Itaque si vel ad ipsum usque Ottonis Diploma Finarium continebatur inter bona, Aleramo posterisque concessa, multo magis idem contentum quoque fuerit Fridericiana investitura. Intercedit iterum Advocatus rapiando clausulas utriusque investituræ, in quo unico excellere se posse putant leguleji, & vulgi auras captare, quum alioquin cordatis omnibus eo modo se deridendos propinent, nec nisi apud indoctos prævaleant, si quos forsitan offendant. Clausula igitur Ottonianæ tabulæ: *Insuper etiam confirmamus & corroboramus prædicto Alerano Marchioni omnes res & proprietates suas ad utriusque sexus familias, tam de hereditate parentum, quam de acquisitu illi advenientes, per diversa loca intra Italicum regnum conjacentes, videlicet in Comitatu Aquensi, Savonensi &c* nec non altera Fridericianæ dcet, *quod pater ejus habuit in Civitate Savonæ, & in Marchia, & in Episcopatu, & in toto districtu dictæ Civitatis & Marchiæ,* ambæ, inquam, hæ clausulæ eidem loqui non videntur de universa Marchia Savonensi, sed *partim & contractius*, unde extendens quod antea in puncto Ottonianæ concluserat: *nisi prius*, inquit, *doceatur Henrici Guercii patrem in Marchia Savonensi possedisse Finarium, frustra quærimus, an ex hoc Aenobarbi documento, quod universam Marchiam non complectitur, feudali aliquo nexu reddatur obnoxium.* Scilicet Finarium vult fuisse Comitatus seu Marchiæ Savonensis, sed tamen nulla ex binis iis imperialibus litteris concludi.

Patuit jam, nec revoco, in tabulis Ottonianis sub nomine Comitatus Savonæ venisse Finarium. Nec minus eo tempore exigebat illa vox, quippe non ut hodie pagus aliquis Comitatum constitueret, sed civitates plures, plura oppida & castra sub uno Comitatu comprehenderentur, sicut nec Comites aut Marchiones erant quicumque nobiles, sed qui Principes amplæ & insigni cuipiam ditioni dominabantur (a) Hæc tamen ante seculum XI. æræ nostræ vulgaris, quia postea separari cœpere Comitatus & Marchiæ; prout revera sub Friderico separatum Finarium a Savonensi exemplo esse potest, quod non pertinuit amplius per ea tempora ad Comitatum aut ad Marchiam Savonensem, sed venit sub illius Civitatis Episcopatu de anno usque 1180. unde in Pactis conventis inter Marchiones Savonæ & Naulum vicum, *Marchionis Finarii* mentio est, ibi *1180. Indictione quarta Calend. Augusti inter Caminatam Marchionis Finarii*, (b) promiscuæ enim jam tunc *Marchionis Finarii*, & *Marchionis Savonæ* appellationes, utriusque Marchionatus distinctis rationibus Pertinet huc eadem ipsa paulloante attacta Conventio (c) Marchionis Henrici cum Communi Savonæ de anno 1179 verbis: *juramus, quod bona fide sine fraude omnia jura & possessiones & usus, quas Dominus Henricus Marchio tenet, vel fratres ejus tenuerunt intra Episcopatum Savonæ, & extra Episcopatum usque ad Gurram, & a Jugo usque ad mare, intra hos duos terminos, scilicet a ponte Tremule*

K Sed

(a) *Murat Antichità Estens. cit P. I. cap V p. 30.* (b) *Documentum servat Raphael a Turri in Controvers. Finar inter Documenta litt. V p. 21 in fin* (c) *Supr p. 20 §. Aliud agentes &c.*

Sed adhuc elegantius Imperator Fridericus in litteris investiturarum mox supra relata clausula, & hac altera, paucis interjectis sequenti: *& destruendi castrum & turrim, quæ contra suam voluntatem facta fuere in omni Marchia Civitatis Savonæ, & in Castro Quiliani, Segni, Noli, & Perticæ, & Piæ, & Orchæ, & in omnibus horum castrorum Curiis.* Quæ enim in præcedenti documento dicuntur *extra Episcopatum usque ad Gurram*, Curiarum nomine extra Marchiam Savonæ veniunt in altero, pertinentium ad Castra, & Perticæ, & Piæ, & Orchæ, omnia quidem Savonensis Episcopatus, sed Finarii Castella seu Fortalitia, non minus ac ipsa Gurra ejusdem pagus est, (a) a quo pago inclusive, ad ortum Savonam versus, extenditur pars Finarii Marchionatus, quod spatium Henrici fuisse eodem Conventionis instrumento audiebamus, & juris fuisse Imperii altera clausula Savonenses testati sunt, ibi: *bona fide observabimus sine fraude, & salva fidelitate Domini Imperatoris &c.* & sane Fortalitia illa Perticæ, Piæ, & Orchæ etiamnum hodie Finarii partim adhuc extant, & partim vetustate & vastatorum rabie demolita, suæ adhuc, ut ille ait, servant vestigia formæ. Quare omnino perperam Finarium excludit Genuensis Advocatus ab illo Diplomate, in quo etsi nomine tenus non contineatur, re tamen continetur, & præcipuorum tunc Castrorum appellatione, & Curiæ, & Episcopatus pro more illorum temporum nullus mihi ibis inficias; quibus consequens est, clausulas specialitatis, unde cavillationes nectebat, claritatis esse & cautelæ, non autem ac si eidem generalitati derogaretur.

De eadem fidelta duos dealbavi parietes, hoc est, utrumque obtinui, Finarium nempe Ottonis & Friderici Investituris comprehensum, feudum esse Imperii; prout recte declaravit Ferdinandus Imperator (b) die 13. Maji 1560. & idem jam ab hujus postremi epocha a Savonæ ejusque Marchia separatam propriam egisse provinciam, quam profecto agere poterat fortalitiorum, & curiarum multitudine, quibus vel inde componebatur, ad Marchiam quocumque tempore sufficientissima, tunc præsertim vico tantum existente Naulo (c) Marchionis Finarii, (d) & unico, sine dependentiis accessionibusque, (e) quæ omnes ad Vada usque Sabbatia erant Finariensis Districtus. (f) Non fuit ergo Finarium obscurum illud oppidum & ignotum Savonensis Marchiæ, terminis utor Genuensis Advocati, (g) quod dignitate Marchionatus illustraverit primum Jacobus de Carretto Finarii Marchio, illustratum vero, rebus præclare feliciterque fluentibus, usu quodam & commixtione verborum, procedente tempore ad Marchionatus nomenclaturam evaserit, ut idem proprosequitur, adeo immemor ex templo evulgati per ipsummet documenti, quo

(a) *Vid. Bald. Consil. VIII vol. I.* (b) *Decretum refert Raphael de Turri Controvers. Finar. Sect. I p. 11.* (c) *Caffar. ejusque Continuator Annal. lib. VI ad ann. 1239. col. 481.* (d) *Vid. Convent. inter Marchion. Savon. & Comm. Nauli ap. Turr. inter Document. lit. V p. 27 in fin. & seq. Instrumentum venditionis de 14 Septembr. 1192 Burgi Nauli, factæ per Marchion. Henricum, Henrici Guercii filium pretio librar. 1720 denar. a Hominibus Nauli, rogatum Notario Roberto de Montanario Sacri Palatii. Annal. Savonens. ap. Ughell. Ital. Sacr. Tom IV de Episcop. Savonensibus.* (e) *Justin. Annal. lib. I. p. 8 a. Unde gratis fingitur Naulenses vendiderunt Ughell. Ital. Sac. Tom. IV col. 1014 & seqq.* (f) *Turr. Controvers. Finar. inter Docum. lit. P 1 p. 192.* (g) *Loc. cit. Sect. IV p. 101.*

quo clarum Finarium, & Marchionatus titulo insigne eodem hoc ipso tempore circuimus. Fluxere quidem tunc, & deinde amplius feliciter res Finariensium, & nobilitate conspicuos viros toga sagoque dedere Reipublicæ, ipsisque Corsica præsertim penclitantibus Genuensibus. Hinc Cardinales & Præsules, illinc Rhodios, quos vocant Magnos Magistros & Equites, S. R. I. Principes, Legatos, Duces, Chiliarchas, Classium Præfectos, Senatores, Professores, Advocatos, aliosque viros illustrissimos, perpetua fama victuros, usque adeo ut ipsum Finarium *totius Liguriæ pars multum insignis* a Sereniss. Repub. ejusdemque Oratore declarari meruit coram Celsissimo Electore Moguntino anno 1582. (a) Sed adhuc antiquior inclytæ nostræ Urbis recordatio est & gloria; & in eo ipso, ubi obscuritatem fingunt, gloriosior assurgit. Bellicosissima namque inter Ligures quocumque tempore Finariensium natio, majora præ ceteris subivit incommoda, unde toties muratum Provinciæ nomen. *Pollupice* ille Antonini Augusti, Semlero *Lollupice*, inter Vada Sabbatia & Albingaunum, non aliud apud Geographos (b) quam Finarium est, locorum distantia id fateri cogente. Sed mox & ipse dirutus, ut conjicio, aut ex proximis Alpibus Cottiis ad eam oram pluribus descendentibus, aut ex ipsa *cotis*, ora nempe maritima barbaro vocabulo, (c) ut hodie dum ea pars Urbis, quæ ad litus est, & a summo Jugo remotior, *Marina* dicitur, *Varicotum* celebre nomen fuit, portu præcommodo natura ipsa instructum. *Varicotum* inquam illud, & vernacule *Varigotti*, quod in Liguria non reperit Horatius Bianchi, (d) temperent se si possunt a risu nostrates, & tamen hodie adhuc nomen servat Finariensis Marchionatus pagus prope eumipsum locum, ubi portus fuerat, a quo splendidius multo post assurrexit a salubritate aeris dictum Finarium. Hinc nostra regio antea sub Savonensi comprehensa, hinc Varicotum numquam amplius restitutum, sed vicus perpetuo mansit, ita uti edixerat immani decreto Rhotarius; quia ut ceteris Liguriæ Urbibus virtute & fide præstiterat, ita quoque majores exceperat clades, quas compensare non potuerunt nostrates, quousque dominantium favore ad pristinam dignitatem Finarium evectum est.

Non hæc ego loquor, quia Finariensis sim, neque minorem eo nomine fidem mihi adhiberi velim; nam prædicta omnia sparsim ex historiis constant, & annuis solemnitatibus devotisque cæremoniis tam gloriosæ antiquitatis memoria renovatur, procedentibus quot annis Urbis nostræ Magistratibus cum Reverendissimo Canonicorum Capitulo Plebaniæ (e) titulo S. Joannis Baptistæ, alterius nempe ex duabus insignibus, & ab immemorabili Urbis Collegiatis, ad RR. PP. Capucinorum

K 2 Eccle-

(a) *Documentum evulgavit Lunas. cit. p. 315.* (b) *Luc. Holsten ad Stephan. de Urbib. & Cellar. Geograph. Antiq. lib. II. cap. IX. Sect. I. § LII. Semler apud Carol. Stephan. & ipse Stephan. in Dictionar. Historic. Geographic. Baudrand. Lexic. Geograph. Tom. II. litt. P. O. p. 75. Spenerei 1669. fol.* (c) *Vid. du Fresne in Glossar. Latinit. Tom. II. col. 1130. novis. edit.* (d) *In not. ad Tom. I. Scriptor. Rer. Italicar. colligente Clariss. Murator. edit. Mediolanens. 1723. fol.* (e) *Ita notitibus ex Bulla Pauli III. Summi Pontif. anno 1542. qua eidem subjiciatur Ecclesia S. Mariæ de pago [illegible]; præter alia, quæ dare possem.*

Ecclesiam, Paganorum antea delubrum, & deinde primam Parochiam Finarii, ubi sub Neronis imperio DD Nazarius & Celsus Populo Finariensi annunciarunt Sacro-Sanctum Evangelium. Revera majorum nostrorum socordiam dolere satis nequeo, quia non tradidere annalibus quæcumque quolibet tempore gesta sunt, nisi illis veniam demus; etenim fortassis in finitimorum invidia, qui frequenter fortunæ æmulum Finarium invadebant, sibi non fidere. Sed qui timor invidiæ, ubi rerum præclare gestarum non ambitiosa sed opportuna commemoratio vel ipsos hostes delectat, gaudentque probi homines fortitudinis & constantiæ specimina intueri & demirari, quibus ipsis suisque victoriis majus deinde lumen affulget. Feliciores tamen in hoc ipso sumus, quia extraneorum sic utimur testimoniis, eaque opponimus iis Scriptoribus, qui majorum nostrorum gloriam denigrare, nostrarumque rerum oblitterare monumenta, nobis ipsis detrahere incubuere, & incumbunt Raphael a Turri, &, ut recentissimos prætercam, quibus affatim contentioso judicio & Aulico Imperiali satisfactum est, Petrus Bingus, qui postremus eousque impudentiæ delabitur, ut Finarii portum fuisse numquam venditare potuerit; (a) & si de illo Genuenses ipsi vetustissimi testentur, (b) eundemque memorent a Republica obcæcatum; & aliunde Regum Hispanorum Austriacæ Domus, qui Finario dominati sunt, saluberrima consilia, quæ toties & toties, & oh quantum! sollicitam reddiderunt auriqoe prodigam Serenissimam Genuensem Rempublicam, situs denique ipse, & non obscura portus vestigia adhuc extantia, eundem patefaciant. (c)

Est adhuc, quod vetat plena nos gaudere victoria in asserendo Finario juribus Imperii. Caret namque Genuensis Advocatus, sciens non negi, quæ prolixe ex investituris disseruerat, fucumque illis detrahi facile posse, ad jura feudalia confugit, in quibus studio ipse, ut etiam incaute peccans, negligentiores pelliceret in errorem. Argumentum sic instruit: Quandoquidem nihil immobilis, nihilque immobili æquipollens eo privilegio ab Imperatore concessum est Henrico, neque Henricus quicquam cessit Imperatori, quod deinde in feodum reciperet ab eodem, ut feudorum recognitorum natura postulat, nihil actum fuerit de feudis iis literis nullaque intercesserit feudalis obligatio quod ad ea, quæ privilegio expresse continentur; eoque magis proinde quod ad Finarium, quod interpretatione duntaxat privilegio comprehendimus. Cavillationis malitiam cur prosequar, quum ipsam cavillationem nullo negotio refellere possim. Fridericus Imperator acerrimus idemque justissimus vindex juris Imperii, quod prope suo tempore obsoleverat, omnia Italiæ feuda considerabat Fisco caduca ex JCtum sententia, (d) quorum responsis perpetim se suaque gesta conformavit, & numquam magis revera quam eo tem-

(a) *In Libr. de dominio Sereniss. Reipub. Genuens. in mar. Ligust. lib. II cap. XVI.* (b) *Justin. Annal. Genuens. lib. I p. 7. a plura vid. ap. Latam Quæstion. Salar. Finar. ed. cap. I. n. 41. in allegat. litt. C p. 28.* (c) *Vid. Senator. Lagun. ci. in libell. de Portu.* (d) *Sigon. de Regn. Ital. lib. XII. ad ann. 1158. col. 740. post Radevic. loc. cit.*

tempore floruit Imperium. Caducitatis rationes obscuræ non erant in regalibus, quæ Vasalli impotentes sibi usurpaverant, nullo amplius Imperatorem prosequentes recognitionis obsequio, quare superérat iis gratiam deprecari, qui ex præcedentis cujusplam Principis largitate alióve justo titulo tenida habebant, reliquos vero non eodem jure munitis, acquiescere & transigere ad Friderici nutum. Nihil igitur erat opus cessione Feudorum Friderico, quæ deinceps restitueret Vasallis, directo dominio sibi retento, & Henrici nostri fides, qui statim adfuit Imperatori moventi in Italiam, eundemque opera & ære adjuvit, merebatur utique præ ceteris in gratiam recipi amplissimoque & honorificentissimo donari diplomate, prout gestum est, non autem illum eximebat veniæ obtinendæ necessitate.

Reliqua bona, quæ possedit, sive in investiture ea clausula indigitentur. *Savonæ, & in Marchia, & in Episcopatu, & in toto Districtu cum Curtis & Pertinentiis*, sive quæcumque alia, sane plurima, ab Aquis pura Statelus ad Vada usque Sabbatia, & in Alpinis Jugis prope Albinganum, quæ partem Lingarum Provinciæ constituunt, nominare non attinet, quia abunde venient nominanda in tot subsecutis divisionibus, de quibus adhuc superest dicendum. Cayrum sane, ut hoc uno utar exemplo, prope Bormidam amnem, Lingerum olim ut ajunt Regia, Henrici erat, quem ad modum indicat ejusdem Henrici liberalitas; instrumentum scilicet fundationis Hospitalis Sanctæ Mariæ de Fornellis inter Finarium & Carcheras diei 2. Augusti 1179. quo dono dedit Henricus præfato Hospitali quicquid de pane & vino colligebat in loco Cayri, & medietatem Molendini ejusdem loci, quam tenebat Guelfredus de Cayro, & bayliam, quam habebat prope Sanctum Donatum de Cayro. In Abbatiam deinde conversum Hospitale, ut & hoc moneam, juris remanserat patronatus familiæ de Carreto, sed modo Successorum incuria liberæ collationis est Summi Pontificis. Cum Cayro *Carrettum* veniebat, & *Vignarolium*, Cayri pertinentiæ. Investitura feudi Spigni (*a*) a Commune Genuæ concessa Joanni, Francischino, & Lodisio Marchionibus de Carretto, filiis quondam Manfredi anno 1386 die 18 Julii enunciat idem Commune dedisse in feudum anno 1214 die 15. Julii Ottoni & Hugoni de Carretto (*b*) *Castrum Cayri cum tota Castellania sua, & in omnibus pertinentiis suis, videlicet de Carretto, & Vignarolio*; idem de ceteris possem ostendere.

Circa hæc bona Henricus, cum ante divisionem patrimonii cum fratribus iniret, tum post, multoties pepigit fœdus cum Commune Genuæ, illudque renovavit pro Civitate Savonæ & Castro Nauli, (*c*) quod immo anno 1155. cum fratribus Manfredo & Ottone Boverio sub ejusdem Communis tutela deponere debuit, post dies XV. idem iterum receptutus. (*d*) Harum conventionum testimoniis & ipsi quandoque utimur,

L quia

(a) *Authent. cum servat Hieronym. Marchio de Carretto, notarum instrumentorum* (b) *Hæc tabula evulgavit Raph. a Turr. ... inter Docum. p. 13. & seq.* (c) *De his Conventionibus jam supr. & extant ap. Raphaël a Turri inter Documenta litt. T. 2 p. 104. & litt.* ... *p. 115. & seq.* (d) *Justinian. Annal. Genuens. lib. II. fol. 41. b & 42. a.* ... *Fœderis leges vulgavit Raphaël a Turri Controvers. Finar. cit. inter Documenta lit. U. 2. p. 105.*

quia nisi jura probent, notitiam saltem ingerunt eorum, quæ per ea tempora accidere. Haud enim ausim umquam quicquam auctoritatis eisdem & aliis subsequentium Marchionum attribuere, quas irritas cassasque esse voluerunt expressis edictis DD. Imperatores, (a) ut hoc ipso loco patet de illa pro Castro Nauli, quod nihilominus in feudum a Friderico recepit Henricus. Tunc enim id æquius, quod validius, & pro lege stabat potentioris voluntas, unde nedum ab Imperatoribus quæ gesserant Marchiones infirmari satagebant, sed ipsi quoque quæcumque data occasione annitebantur recuperare, quæ sibi fuerant adempta. Prævaluit hoc studio Henricus; hinc acerba in eum, probum alioquin virum, Caffari (b) & aliorum ex Genuensibus historiographia (c) scommata, qui nempe æqua lance res perpendere non didicerant.

Uxorem habuisse reperio Henricum, eamque adhuc vivam anno 1181. Pacta conventa inter Marchiones Savonæ & Civitatem Nauli sexto decimo Kal. Novembris ejusdem anni (d) *Conventio est inter D. Henricum Marchionem Savonensium & D. Comitissam uxorem ejus &c.* Comitissas tunc dictas Marchionum uxores, pluribus aliis jam observatum, (e) prætereo magis quam attingam. Fuit hæc Beatrix nomine, Gulielmi II. Marchionis Montisferrati filia, & neptis Friderici Imperatoris. (f) Ex ea liberos suscepit Ottonem, & Henricum, Isabellam, Ambrosium, & Bonifacium. Isabella nupsit Henrico Hugonis filio, Marchioni Ponzoni. (g) Ambrosius & Bonifacius ambo viam monasticam ingressi, ambo quoque fuere Episcopi Savonenses, uno alteri succedente juxta Ughellum; (h) cui hactenus assentiar, modo detur quoque, Bonifacium deinde constitutum fuisse Astensem Episcopum, prout eruo ex instrumento apud Obertum de Langasco anni 1215 in Archivo Notariorum; (i) unde nulla Ambrosii & Bonifacii mentio in fœderibus illis & conventionibus, de quibus paulloante dicebam. Ipse Henricus Marchio, vivus adhuc anno 1183 quo Constantiensi paci Imperatoris Legatus & arbiter interfuit, (k) post egregia virtutum specimina pie obdormiebat in Domino jam anno 1188. quod indicat clausula Contractus inter ejus filium Henricum, & Nauli Consules initi, rogante Girardo Notario, (l) ibi: *D. Henricus Marchio filius q. Marchionis Henrici Guercii &c.*

Ad Ottonem & Henricum filios devolutum fuit totum Henrici Guercii patrimonium. Otto satis a paterna virtute degener, potiorem fuæ

(a) *Vid. Visitatr. D. Maximiliani I de VII Decembr ann. 1496 ap. Lunig ut & post Legam. cit p. 223. & post de Turr. inter Docum. litt S 2. p. 211. & seqq.* (b) *Caffar ut ad ann. MXLIII.* (c) *Justinian cit lib II ad ann 1154 p XII b & c* (d) *Apud Turr cit litt V p 37* (e) *Vid. Celebr. Murator Antiquit. Med. Ævi Diss. VI col. 316 litt E* (f) *Ludovic ab Ecclesf. cit p 264* (g) *Charta dotalis in protocollo de anno 1192 in actis Arnaldi Notarii apud Franciscum Grimaldum q. Illustrissimi Lucæ olim Ducis, ex Senatore Frederico de Frederico Tom. I. litt C* (h) *Ferdinand Ughell Ital Sacr Tom. IV de Episcopatu Savonæ n 17 & seq col 734 & 736* (i) *De quo Fredericus de Frederico loc cit.* (k) *Ludovic ab Ecclesf. in Histor. Pedemont. p 79. & post eum Fredericus de Frederico negligenter admodum, quæ bonus Henrici patris sunt, aliter tribuunt Henrico filio* (l) *Ap Raphael. a Turr. inter Documenta litt U. p. 27. & seq*

suæ sortis partem, ut Manus noster ait, (a) pertraxit dilapidavit obligavit, invalide licet (b) veluti portionem Civitatis Savonæ, Vassallagia Castrorum Quiliani, Vezii, & Albizolæ: rum, quod fertur, adhæsit Communi Astensi pro Curte Æmilii eum suis pertinentiis, & Communi Genuæ pro Cayro Vignarolo, Carretto, Dego, & Carcharis, quæ feuda in Langhis etsi ex divisione eidem obtigisse memorentur; nihil tamen adhuc authenticum de hac innotuit. Populo Naulensi itidem plurima cessit bona & jura feudalia; (c) & Nanum, Marchionem Cevæ, a Conmarchionibus suis dissidentem, Communi Astensi adhærere compulsit pretio librarum, ut ajunt, centummille, pro viginti duobus Castris, & pro parte dicti Marchionatus. (d) Ipse vero Communi Genuæ addictissimus, & Civitate cum liberis donatus est, (e) & Prætor seu Dux renunciatus anno 1194 quo Cattaneam in Trinacria, a Saracenis captam, cum Genuensibus vindicavit Imperatori Henrico Panormitana demum expeditione abdicans se a Magistratu, ut oportebat, maximum sui desiderium Reipublicæ reliquit, frustratæ ea abdicatione Syracusis & Valle Nothi, quas ab Imperatore pollecta, spe devoraverat (f) Plures ex Alda Hugonis Embriaci filia Patritii Genuensis & domini Biblii, eidem in Oriente copulatam Ottonem (g) suscepisse liberos, cuidam instrumento nisus auctor est Sangiorgius; (h) sed qui fuerint, non ita habemus compertum, quamvis antiquæ traditiones de nonnullis referre videantur.

Hoc certo constat ex ejus filiis unum fuisse Hugonem, Manfredum alterum. De Hugone inter alia testatur donatio, seu verius oblati feudi recognitio a Commune Genuæ anno 1214. *Nos Otto Marchio de Carretto & Civis Januæ, & Hugo filius &c.* & deinde *Nos Janúenses Consules &c. damus & concedimus vobis Otto de Carretto Marchioni & Civi Januæ, & Hugoni filio vestro &c.* (i) de Manfredo vero Historia Pedemontium Præter hos Gulielmum video, S. Syri Priorem in protocollo anni 1243 de quo Senator de Fridericis (k) sane eundem nescirem, cui melius ex epocha, quam huic Ottoni adscriberem, & quamquam id ullo testimonio firmare nequeam, personæ tamen qualitas Ecclesiastica hujus oneris gratiam faciet, tum & clerici Guercii filii, ejusdem conditionis homines, ullis pactis conventionibusque ipsi cum fratribus intervenere Idem Senator de Fridericis (l) Andream de Massa memorat filium Ottonis de Carretto ob auctoritatem Caffari. (m) Locum Caffari si interpunctione

L 2 emen-

(a) *Annal. Finariens. Bell. MS. lib. I.* (b) *Il Pendin. ist. LF. de Prohib. Feud. al. quod opponit August. Monteri in Compend. Memor. Civitat. Savonæ, & Sansovin. in Orig. Famil. Carrett.* (c) *Tabula Cessionis apud Raphael a Turre inter Document. litt. II fol. 27* (d) *Augustin. ab Eccles. in Coron. Regal. Sabaud. Dom. P. II fol. 232 & seq.* (e) *Raphael a Turre Controvers. Finar. Sect. IV p. 97 & documentum profert sub litt. R, p. 21.* (f) *Integram historiam narrat Caffarus Annal. Genuens. lib. II ad ann. MCXCIV apud quem Historia Aug. jocus Postquam Tyssra mortua est, de abdicatione . . . quam illa tenebat anno 1214 Otto, ut ex documento apud Turre litt. R, & ap. Caffar. lib. VI. ad ann. 1227 Vide etiam Justin. Annal. lib. II p. 61 b in fin. & seq.* (g) *Frideric. de Fridericis in Notit. familiar. Illustr. Liguer. Tom. I litt. C.* (h) *In Origine fol. 62.* (i) *Ap. Turre Controv. Finar. inter Docum. litt. R, p. 12 & seq.* (k) *Loc. cit.* (l) *Loc. cit.* (m) *Annal. lib. VI ad ann. 1227 col. 449*

emendatum adscripsero, patens erit affatim error hujusmodi sententiæ. Lubentius id faciam, quia & in nupera Caffari editione eadem fallax interpunctio servata est. *Ut autem*, inquit, *nihil de iis, quæ relata sunt, digna sine memoria omittatur, sit omnibus manifestum, quod in exercitu Riparæ supradictæ fuerunt Dominus Otto de Carretto, & ejus filius; Andreas de Massa cum militibus* XX. *& aliis multis Marchionibus &c.* Alius ergo Andreas de Massa de quo apud Muratorium (a) alius filius Ottonis.

De Gullielmo non habeo, quid memorem; de Hugone & Manfredo pluscula, quorum uterque pressit patris vestigia. Hugo namque præter investituram Cayri, quam cum patre Ottone receperat, (b) Savonam, si fides Friderico de Fridericis, submisit Communi Genuæ, ejusdemque Communitatis nomine Præturam in ea Urbe inivit. Tabulæ Conventionum etiamnum circumferuntur, (c) quas tanquam Savonæ Prætor pepigit cum Genuensibus, easdemque religiosissime custodivisse argumento sunt, quæ recitat Caffarus in annalibus. (d) Sed tamen anno 1223 Castro Paretæ potuit expoliari, Genuæ Potestatem agente Carlevario, (e) & cum patre Ottone castris Cayro, & Dego cedere mulctamque. (f) Porro Manfredus usque adeo fovit Genuensem Rempublicam, ut qui antea cum aliis Marchionibus steterat pro Imperatore, a suo munere deinde divertens, cum eadem transiverit ad partes Pontificis. (g) Grassabatur tunc si umquam in Italia pestifera illa lues factionum inter Guelphos & Gibellinos, eoque acrior sub Innocentio IV. Summo Pontifice, & Friderico II. Imperatore, quo amicior fuerat Augusto adhuc Cardinalis, & nondum Pontifex Innocentius. (h) Rempublicam adversus Imperatorem impellebat cum libertatis studium, tum amor Pontificis, Genuensis natione, ex Gente Fliscorum; & habebat Manfredus, quod apud suos speciose caussari videretur, fovere nempe Guelphorum caussam, cum quibus eandem traheret originem. (i) Hoc aliunde illi erat necesse ad regenda, quæ impotenter alienaverat cum ipse, tum pater ejus Feuda Imperii. Visitavit ergo Pontificem in loco *Susæ*, (k) Rempublicam juvit ad obsidendam Savonam, quam ejusdem patruelis Jacobus, Friderico Imperatore protegente, revindicaverat. (l) Quumque illi Gullielmus Montisferrati Marchio anno 1264 Aquensem Urbem ademisset, anno 1268. Papiæ adfuit Corradino Duci Sueviæ, ultimo lineæ D. Friderici I. & periclitantem Mediolanensium odio, per suas jurisdictiones Manfredus tutatus

(a) *Antichità Estens. P. I. cap. XXVI. p. 261.* (b) *Documentum extat apud Torr. loc. mox cit. add. Caffar. ad annum 1214. col. 405.* (c) *Quas evulgavit Raphaël a Turri inter Docum. litt. X. p. 30. anno 1222.* (d) *Lib. IV. ad ann. 1223. col. 326. & seq. Justin. Annal. lib. III. p. 64. b. ad eundem ann.* (e) *Caffar. Annal. lib. V. ad ann. 1223. col. 432. Justin. Annal. lib. III. p. 74.* (f) *Caffar. Annal. lib. V. ad ann. 1223. col. 433. & seq.* (g) *Caffar. cit. lib. VI. ad ann. 1242. col. 183.* (h) *Malvas. Theatr. Histor. in vit. Frider. II. p. 952. & seq. edit. Elzevir. 1668. in 4to.* (i) *Vid. qua doctissime de his factionibus disserit Celebr. Muratorius Antichità Estens. P. I. cap. XXXI. p. 315. & seq. & 319. in fin. & seq.* (k) *Post Caffar. loc. cit. quib. add. Justin. Annal. lib. III. ad ann. 1244. p. 59. b.* (l) *Caffar. loc. cit. Justin. cit. lib. III. p. 276. ad ann. 1243.*

tatus est Savonam (a) vel Vada usque Sabbatia, (b) unde Neapolim perexit Corradinus, quo se juvaret adversus Gulielmum gentilem suum pro recuperatione Civitatis Aquarum, (c) hoc facto dissimulans Gu.l-phorum partes, quibus adhæserat. Inter cetera feuda Curii Mili dominabatur, cujus rei documentum se vidisse testatur Fridericus de Fridericis; & anno 1253. Henricum Spinulam de pluribus feudis investivit. (d)

Sobolem utriusque expiscari & Hugonis & Manfredi potius quam uxores adigimur, de quibus sane nihil comperti præter hoc est, Mansfredum scilicet, eandem, qualemcumque demum habuisse. De Hugone namque id equidem suspicari ausim, sed certo argumento tueri desperem, deficientibus synchronis monumentis, & historiographorum, quibus innitar traditionibus. Utcumque tamen, quandoquidem duo nobis Carretenses circa hæc tempora abundant, Oppizzo unus de Carretto, anno 1273 Mediolani Prætor, multis eo magistratu præclare gestis insignis, (e) & alter Bonifacius vir Agnetis, Sororis alterius nuptæ Comiti Sabaudiæ, (f) & Ottoboni Cardinalis de Flisco, cui Cardinalis testamento condito anno 1278 legavit libras bis mille quadringentas, auctore ex ejusdem testamenti tabulis Friderico de Fridericis, hos ambos Hugonis filios asserere non abs re mihi viderer, siquidem nec Manfredo fratri possint attribui, nec lineæ propariæ Henrici, præter quos alii nulli tunc extitere seminis Carrettensis propagatores. Verisimillima oppido esset nostra sententia, modo feliciter antea potuissemus transigere de binis hisce personis, &, quod verear, prospicere, ne una bis dispescatur in binas. Utrique namque Senator de Fridericis Sororem conjungit Ottoboni Cardinalis de Flisco. Incertum remanet num eandem, an diversam conjugat? num utroque loco Ottobonus Cardinalis sit ille, qui, ut semel ait, Pontifex creatus, Hadrianus V. dictus est? Si idem, ambigam falsum de testamenti veritate, quippe anno 1278. jam perierat Hadrianus; sin alius, id ulterius inquirendum, quinam fuerit; nullus enim tunc Ottobonus de Flisco Cardinalis præter Pontificem. Fuit utique anno 1244. Gulielmus de Flisco, & ipse Cardinalis, sed quid huic & antiquiori eum Ottobono?

Tot expediendis difficultatibus fortean sufficerem, si eadem ipsa documenta possem intueri, ex quibus nasci videntur. Dubio procul aliquid in his erratum est; & quoniam Bonifacii personæ constitutio tota nititur supremis tabulis Cardinalis de Flisco, si hoc monumentum revera superest legitimum, quem ad modum illius epocha non cohæret, & in ea descriptores erraruut, erraverint etiam memoria lapsi in nomine, indeque fuerit commentus Bonifacius, frequentissimum nomen apud Carrettenses, qui tamen non erat nisi Corii Oppizzo. Sed & hunc Oppizzonem unius Mediolanensis Corii traditione, unde ceteri bibere, Malaspinarum

M Oppi-

(a) *Tristan Calch in Histor lib XVI* (b) *Sat Cosser lib. VIII ad ann 1268. col 545* (c) *Gosfred ab Ecclesi in Histor Marchion Salutiar.* (d) *Idem Fridrric de Fridric loc cit.* (e) *Cor in Histor p 133 cor add Fridreic de Fridrric loc. cit & quos laudat* (f) *De gen Justinian. Annal. Lib 3 fol 102 b.*

Oppizzonibus assueti magis quam Carrettensium Oddonibus, vetabo tam facile admittere, eoque vehementius, quo facilius affines literæ *Oppizzonis*, & *Oddonis* earumque nexus confundi potuere. Fuit namque circa hæc ipsa tempora Oddo Manfredi filius, ut paullo infra apparebit, cui etiam conjugem Pallavicinus attribuit Cardinalis de Flisco sororem. Nec obest, quia ex authentico instrumento, Senatori de Fredericis noto, Oddonem duxisse reperiatur Isabellam Moroccellam. Hanc enim duxerit secundis votis, altera conjuge præmortua, cujus conjecturæ nostræ vel illud erit indicium, quia cum hac Isabella nrequretum egit conjugium, quia testamento Cardinalis non agnatæ nepti, sed nepoti affinis legatum est. Ergo sic constituam, Hugonem Manfredi fratrem sive duxerit, sive non duxerit uxorem, decessisse improlem, Bonifacium quem ajunt, sive Oppizzonem, ambos, unicum esse Manfredi Oddonem. Alioquin si quis ægre mihi acquiescat, sequatur quod lubet, neque desiderabit in tabulis Genealogicis hunc gradum Hugonis, sed illum apponam, sua tamen etiam apposita nota, qua de his constet, quæ hoc loco disputata sunt. Porro si fuerit hic gradus, utique ulterius propagatus non est, quippe nemo illinc exortus possit ostendi.

Quoniam autem tota nostra præcedens disputatio traditione Anonymi Scriptoris mediæ Genealogiæ Carrettensis confirmatur, eademque liquet in tabulis expungi oportere, ita ut ommatus sim eum gradum, qui de liberis Hugonis est, quippe unus fuerit Oddo Manfredi, qui *Oppizzo*, *Opicius*, aut etiam *Bonifacius* fingitur, ipsius verba, quibus uxor liberi & gesta trium alias personarum, huic uni & soli attribuuntur, apponam. *Fuit pariter sub his annis* (scilicet 1247 & 1267) *Opicius, Jo. Jacobi patruelis, duorum Summorum Pontificum Innocentii IV. & Adriani V. nec non Comitis Sabaudiæ affinitate conspicuus. Etenim Innocentii fratris filiam, & sororem Adriani, cujus alteram Sabaudiæ Comes duxerat, in matrimonio habuit. Hic vir magnum decus non tam familiæ, quam toti Liguriæ fuit, atque a Mediolanensibus anno* 1273. *ad civilium & bellicarum rerum curam vocatus, demandato muneri parem se pretnus ostendit. Gregorium X. Pontificem Max. Mediolanensibus implacabili odio infensum, Urbi ut illi conciliaret, multaque expeditiones contra circumjectos populos, rem Mediolanensium continenter vexantes, præcipue Papienses, & Comenses feliciter peregit. Cujus virtutes Manfredus filius imitatus, a Genuensibus anno* 1315. *in turbulentissimis ac mutantibus Reipubl. rebus, quum divina & humana omnia factionum studiis miscerentur, ob spectata prudentiæ & militaris peritiæ laudem ultro accersitus, publicis gaudiis & summa omnium cum expectatione Dux ejus populi eligitur. Factiosorum audaciam repente compescuit, resque urbanas in tranquillum statum redegit. Opicinum Conradi Spinulæ filium, exulum Ducem, potenti stipatum milite, & præsidio Matthæi Vice-Comitis Mediolanensium Principis munitum, inter Appenini Juga pugna commissa superavit, dissipatumque prosecutus, Buzallam oppidum cepit, aliaque contra eosdem exules, ac Mediolani Montisferrati & Sabaudiæ Principes pro illa Republica præclarissima facta commisit.* Hactenus ille.

Trans-

Transeo ad Manfredi liberos Oddonem, Hugonem, & Albertum. De his omnibus testatur investitura eisdem simul concessa a Commune Genuæ anno 1284 cujus etiam notitiam a Senatore de Fridericis acceptam profitemur. Testantur & plurima alia instrumenta, penes Communitatem Cayri adservata, quæ referre non attinet. Praeter istos filiam suscepit Elianam, nuptam Jacobo de Carretto quondam Henrici de Terterio Novelli, sic præ se ferente quodam testamento Francischini, Alberti filii de Carretto, condito anno 1315. die 25 Julii in Castro Spigni. Ex hoc eodem testamento inferimus prædictos fratres aliquando a communione recessisse, in qua statim a Manfredi patris excessu steterant, & in qua de feudis simul a Commune Genuæ fuerant investiti. Hinc Franciscinus seu Franciscus quondam Alberti, adeoque idem ipse Albertus ambo possedere in solidum castra Deghi, Carretti, Montisclari, Montisbaudoni, partemque Carcheratum, & Buzili cum omnibus eorundem locorum dependentiis; ita uti indicant tabulæ mox attacti testamenti.

Oddo contra & Hugo possedere Caytum & Curtem Æmilii cum adjacentibus suis, extante hac de re instrumento seu placito eorundem Marchionum, nec non Manfredi compatare nepotis & filii, rogato Joanni Ricardo Notario anno 1307. die 25. Septembris, de immunitatibus seu *Franchisiis*, ut ajunt, Universitati Cayri ejusque hominibus concedendis; quod idem cum aliis plurimis in nostram hanc rem, ab eadem ipsa Cayri Communitate adservatur. (a) Sed præter hæc alia multa ab eisdem dependebant loca, veluti Castrum Vernetæ, & locus Martini, Castrum Perleti: Castrum & Turris Uzonis, tres partes Salegii: Castrum Rochæ Overaii, Rochetta Cayri, quarta pars Carcheratum, Villa Altaris, & jura in Castro Bubii, atque Villa Monasterii Sanctæ Juliæ, ut ex altero authentico instrumento de 7 Februarii anni 1337 (b) quo Manfredus, quondam alterius Manfredi Marchionis Saluciarum, omnia hæc bona, ab hoc Oddonis Manfredo acquisita, titulo empti venditi transtulit in filios Antonii Scarampi, pretio florenorum aureorum centum & decem mille.

Oddo igitur suscepit Manfredum; hinc & in historia Pedemontis (c) Manfredus dicitur *quondam Oddonis*. Sed num ex primo conjugio cum Agnete de Flisco juxta nostram sententiam? an ex altero cum Isabella Morocella? incertum est. Hoc postremum maluisse videtur Senator de Fridericis, (d) ejus tamen auctoritas in hoc capite parum valere debet, quippe consequens sit alterius opinionis, cui paullo ante mittebamus repudium. Si prior conjectura de duobus Oddonis conjugiis regitur, ex primo natum Manfredum, potius quam ex altero Isabellæ suspicio erit, quod turbulentum egere jugales, neque in jugalis tori charitate perseverare potuerunt; verumtamen vetare nolim, si cui ab his diversa probentur.

M a Man-

(a) *In quodam libro, rubeis tegumentis compacto, ap. eand. Communitatem* (b) *Cujus transumptum authenticum vidi penes Hieronymum Marchionem de Carretto de Balestrino* (c) *P. 202.* (d) *In Notit. Familiar. Ligur. ut Tom. 1 litt. C.*

Manfredus Alexiam duxit, filiam Philippi quondam Thomæ III. a Sabaudia, Principis Pedemontium Achajæ & Moreæ, & Catharinæ filiæ Umberti Delphini Viennensis conjugum. (a) Nullam vero sobolem post se relinquere eidem datum est, & ideo impotenter alienavit omnia sua Castra & loca Marchioni Salutiarum, a quo devenere ad Scarampos, in eo iniquus, quod agnationem prætermisit, nisi debeat excusari, quia degeneris lineæ heres, eadem studia fovit cum antecessoribus suis. Guelphus namque Guelphorum partes tutatus, peritissimus evasit rei militaris, & Strategus quindecim mille peditum renunciatus a factione familiæ Auriæ, & Grimaldæ contra Spinulas, (b) pugna commissa delevit hostes, (c) annoque sequenti 1316. eorundem Guelphorum opera ad totius Genuensis Reipublicæ Strategi officium evectus est. (d) Expleto Magistratus tempore patriam repetens, Civitati Aquarum recuperandæ, quam toti familiæ sub Avo suo ademerant invasores animum applicuit, & ideo anno 1318. petitis Marchionis Salutiarum auxiliis, protectioni etiam & fidei se commisit Ducis Mediolanensium. (e) Ipse vero erga subditos subjectosque magnanimus & liberalis, investituram renovavit Spinulis pro plurimis Feudis, (f) hominesque Cayri, & Commune levavit omnibus pedagiis, quæ colligebantur in tota terra sua, (g) excepto antiquo illo Curtis Æmilii. Cassavit quoque pedagium vini aliarumque mercium, quæ a loco Cayri in Curtem Æmilii vehebantur, prout eruitur ex instrumento rogato Notario Rachanio de Podio, extendens in hoc Patrui sui & patris liberalitatem, cui ipse quoque anno 1307. die 25. Septembris intervenerat. (h)

Hugo, alter Oddonis frater, decessit improlis, sed Albertus ex Soborgia seu Tiburgia quondam Caroli de Flisco, ejus conjuge, (i) natus est Franciscum, Isoldam, & Isabellam. Non liquet cui nupta fuerit Isabella, imo verisimilius reor eandem non nupsisse, nisi nupserit Asinariis. Isolda contra collocata est in matrimonium cum Dominico Spinula, & Franciscus Valentinam duxit de Auria. Unica autem ex hoc conjugio excepta filia Tiburgina decessit Franciscus, condito antea testamento, anno scilicet 1313. die 25. Julii in Castro Spigni, (k) quod pro duabus tertiis partibus Albertus pater ejus emerat anno 1300. a Marchionibus Ponzoni. (l)

Hujus testamenti hæc fuit sententia, ut Tiburgina, desponsa tunc uni ex filiis Alexandri Asinarii, Secundino nempe, vel Georgino, heres esset, eidemque quandocumque decedenti sine liberis, substituti fuere proxi-

(a) *Philibert. Pingon. in Geneolog. Sabaud. & Sabaudia Dom. p. 45.* (b) *De Terr. Controvers. Finar. Sect. V. p. 155.* (c) *Justin. Annal. Genuens. lib. IV. ad ann. 1315. p. 117. b. Interian. p. 91.* (d) *Corius in Histor. p. 185.* (e) *Gioffred. ab Eccles. in Histor. Marchion. Salutiar.* (f) *Frideric. de Frideric. loc. cit.* (g) *Instrumentum hoc de rebus diei 28. Octobr. 1322. asservatur in cod. libr. Communit. Cayri.* (h) *Extat in prædict. libr. rubro Communitatis.* (i) *Vid. Frideric. de Frideric. loc. cit.* (k) *Documentum producit Regia Cameræ Mediolani coram Excels. Imper. Aulic. Consilio in caussa Spigni, & typis cusum circumfertur.* (l) *Documentum producit eadem Regia Camera eadem occasione, & cum præcedente asservatur in Cancellar. Imper. Aulica.*

proximiores agnati de linea transversali Carrettorum in stirpem, si plures erunt, vulgariter pupillariter directe & per fideicommissum, prout melius fieri poterit, relicta Tiburgia Flisca, ejusdem testatoris matre, executrice testamentaria.

Tiburginæ matrimonium aliquando consummatum nec aio, nec nego, quia nihil umquam innotuit, unde id ego haurire potuerim. Hoc bene scio, locum fuisse secundis tabulis testamenti; adeoque quando etiam nupserit Tiburgina, sterile egisse conjugium, & in ea defecisse omnem Ottonis quondam Henrici Guercii prosapiam. Nam in castra Degni, Montisclari, Carretti, sextæ partis Carcherarum, & Buzilii successit Jacobus de Carretto, Henrici II. pronepos, Henrici Guercii abnepos de Tertierio Novelli, idemque jam emerat una cum Manfredo fratre suo anno 1314. die 15. Maji (a) ab executrice testamentaria Tiburgia Flisca, utique tunc sola superstite, binas ex partibus Castri & Villarum Spigni, Rochettæ, & Merlanæ pretio librarum novem mille monetæ Genuæ, & anno 1332. die 25. Junii, (b) post Manfredi decessum, alteram tertiam partem acquisiverat a Marchionibus Ponzoni, unde Jacobi hujus ex Eliana conjuge filii & heredes, Antonius, Albertus, Henricus, Manfredus, & Franceschinus anno 1350. 10 Februarii a Joanne Valente Duce Genuæ, in vim adhærentiarum inter eorum familiam & Genuensem Rempublicam, de feudo Spigni inter cetera investiti sunt, & quinquennio post, anno 1355. quarto nonas Februarii de eodem feudo Spigni, de Dego, de Montecclaro, de Carretro, de parte Carcherarum, omnibusque aliis antiquis eorundem Feudis, caussam habentibus ab Henrico quondam Henrici Guercii, a D. Carolo IV. Imp. impetrarunt amplissimæ investituræ renovationem, confirmatis insertisque præcedentibus DD. Friderici I. & Friderici II. (c)

Non habuere tamen Castrum Montisbaudoni, quippe nec in illud successerat Jacobus. Caverat namque Franciscus testator, quod Tiburgia mater ejus, vita sua naturali durante id esset habitura, & eadem decedente pleno jure devolveretur ad Isabellam sororem, ejusque heredes; ea ceterum lege, qua si Tiburgia in dicto Castro habitare noluisset, Isabella eidem debuisset erogare libras sex mille monetæ Genuæ, sibi tunc selecto dicto Castro, sin autem eadem erogare desisset prædictam summam, licuisset Tiburgiæ matri impune illud alienare, compensatisque libris sex mille, quod pretii reliquum fuerat, Isabellæ persolvere. Castrum pervenit ad Asinarios, a quibus anno 1386 detinebatur; ut indicat dotalis charta Valentinæ, Joannis Galeatii Vice-Comitis filiæ, (d) primique Ducis Mediolani, nuptæ Duci Aurelianensi; unde suspicabar aut Asinarios compulsitam Isabellam, cum quibus conjunctissimam fuisse hanc

N Carret-

(a) *Instrumentum productum eadem Regia Cameræ Mediol. & asservatur ut supra.* (b) *Instrumentum productum & asservatum ut supra.* (c) *Investitura edita est apud Lunig Cod. Diplom. Ital. Tom. I. cap. VI. n. III. col. 2313. & seq. ubi tamen subscriptio in mendo cubat, qua anno 1345. nondum venerat in Italiam Carolus, non neque aderat corruptam Imperatoris. Mathias Theatr. Histor. de Carolo IV. p. 95. & Pfeffinger. ad Vitriar. lib. I. tit. V. n. 24.* (d) *Chartam hanc edidit Sangiorgius in Chronic. Montisferrati.*

Carrettensium lineam non obscure indicant immatura illa Tiburginæ sponsalia, successione eisdem obvenisse; aut certe innuptam in castro vixisse Montisbaudom, quod deinde venditione alove contractu transierit ad Astenses.

Expleta Ottonis Henrici Guercii filii linea, quæ in Tiburgina, ut dictum est, defecit, alteram prosequar Henrici, fratris ejusdem Ottonis. Ad differentiam ab Henrico Guercio patre, cui nomine moribus & virtute fuit quam simillimus, Henricum II hunc vocant Annales, formula in genealogiis usitatissima & eximii compendii. Hujus vitam brevi elogio complexus Marius Philelphus, (a) probum frugique virum eundem fuisse perhibet. Frugi sane in ardua negotiorum tractatione cum sibi profuit, tum confœderatis principibus & toti Christianæ Reipublicæ. Itaque jam inde ab ineunte ætate anno 1182 antiquas conventionis leges (b) cum Ottone fratre pro Urbe Savonensi pactus Communi Genuæ, quantum sua ex hac parte paulisper turbatus est, tantumdem juvit Rempublicam, lacessitam primum anno 1219. ab Albinganensibus, (c) subsecutisque temporibus anno scilicet 1225. bellis Vercellensium & Alexandrinorum adversus fœderatos Astenses. (d) Sed multum antea fidem, militarem virtutem dexteritatemque suam S. R. Imperio probaverat Henricus, unde servitiorum memor & gratus Imperator, pulchra illa protulit investituræ verba, (e) digna quæ hoc loco legantur. *Nos attendentes fidem & devotionem synceram, nec non grata servitia, quæ prædictus Henricus pater suus prædicto D. Imperatori Friderico avo, & Domino Imperatori patri nostro divæ memoriæ, ac ipse Henricus, filius ipsius, specialiter nostræ celsitudini in suæ fidei puritate constans exhibuit, & nunc exhibet incessanter &c.*

Non stetit in his Imperator; imo necdum satis Henrico pro meritis rependisse sibi visus, re quoque & effectu confirmavit eximiam animi sui clementiam. Avi igitur Friderici I. ante omnia amplissime renovata concessione, eandem extendit præterea ad utriusque sexus liberos & successores posterosque eorundem reciproca, quam ajunt, substitutione, non vulgaris tunc in investituris exempli, quo ipso restituta est prior illa Ottonis concessio, quæ ob alteram Friderici I. in feminis perierat. Verba sunt. *De abundantiori quoque nostræ benignitatis gratia, qua consuevimus nostros fideles & benemeritos prævenire, de certa nostra scientia adjicientes concedimus & in perpetuum confirmamus, ut de prædicta concessione nostræ investituræ Feudi tam Marchio memoratus, quam heredes sui masculi legitimi, & feminæ ab eo descendentes, uno alteri succedente gaudeant universi, & si heredes masculos contigerit non esse superstites, filia sua, quæ est uxor Gratapaliæ fidelis nostri, in feudo ipso succedat, nec non ejus heredes masculi & feminæ legitimæ ex ea, & ejus viro Gratapalia descendentes, uno alteri succedente, lege aliqua &c.*

Ob

(a) Cit. Annal. Venet. Belli MS. lib. I. (b) Quæ leguntur ap. de Turr. inter Docum. cit. lib. I. p. 36. (c) Caffar. Annal. lib. IV. col. 415. ad d. ann. Justin. Annal. lib. III. p. 77. a. ad eund. ann. (d) Caffar. Annal. lib. VI. ad ann. 1225. col. 439. Justinian. loc. cit. ad eund. ann. p. 75. a. (e) Ap. Lunig. cit. Cod. Dipl. Tom. I. cap. VI. n. II. col. 2117. & seq.

Ob intrusos Genuenses in res Savonensium, Albingaunensium, aliarumque regionum occidentalis Liguriæ, quas specioso fœderum nomine paullatim ibant sibi usurpatum sensim expulsis Carrettensibus, legitimis earum dominis, affligebatur Henricus. Consulens itaque sibi & familiæ, opportunitatem nactus factionum, quibus laborabat Respublica, Savonensium animos & Albingaunensium ad sua studia pertraxit, compulsitque illos, ut contra Genuenses Imperatorem accederent, coram quo conquererentur de conventionibus, quibus abutens Respublica, eosdem opprimebat. Favit Imperator gratia & consensu, & prope iis locis excederant hostes, omniaque restruebantur Henrico, quousque potentissimis viribus undique terra marique comparatis, recuperarunt illi anno 1227. prædictas Urbes, & Henricus pacem petere debuit & acquiescere victoribus. (a)

Memorantur ejus magnificentiæ & pietatis hæc monumenta, cinctum mœnibus Millesimum oppidum simul cum Castro anno 1206. insigne multo postea Comitatus prærogativa: tum Monasterium ibi conditum, quod ædificavit una cum A . . Comitissa Savonæ uxore sua, plurimisque doravit redditibus, unde & hodie audit *Monasterium S. Stephani de Millesimo.* Fundationis & dotationis testimonia supersunt instrumentum anni 1216 diei 6 Maji, (b) & Bulla Innocentii IV. de dat. Genuæ anno 1245 V. Kal. Octobris. (c) Bulla hæc Pontificis ejusdem ævi, & natione Genuensis, eo pluris facienda, in cujus contextu & iste Henricus *Marchio de Carretto* vocatur, ibi: *Nobilis vir Henricus Marchio de Carretto, fundator ipsius Monasterii, vobis pro libertate donavit &c.* Unde ambos ex Savonæ Marchionibus, Henricum Guercium, & Henrici Guercii filium Henricum II. quos fingebat Raphael a Turri alienos a Gente Carrettensi, Carrettenses fuisse dictosque omni dubitatione remota evictum nobis esse nemo negabit.

De hoc ipso Henrico documenta dedit idem Raphael a Turri, (d) quibus alienaverat Naulo oppido quamplurima bona & jura feudalia, sibi tamen retenta jurisdictione. Hoc amplius aliæ traditiones referunt, eundemmet postea, & anno 1198. die 14. Septembris vendidisse omnem illius jurisdictionem pretio librarum mille septingentarum viginti monetæ Genuæ, explentibus instrumentum Notariis Rob. de Montanario, Bertono de Medico, & Oddono Rottario, idemque oppidum, quamvis nunc liberum, Prætori Communique Genuæ se addixisse anno 1202. die 19 Aprilis. Nondum tamen jactata hæc instrumenta apparuerunt; ab opposito vero reperio

N 2

(a) *Caffar. in annalib. lib. VI. ad ann. 1226 & 1227 vel 443 & 444 & seqq. Justin. lib. III. ad eund. ann. 1226 lib. III. a p. 71 b. in fin. & ad ann. 1227 p. 76 & seq. quibus add. Foliett. lib. III. annal. Genuæ ad eund. ann. p. 227.* (b) *Archetypum servat idem Monasterium S. Stephani de Millesimo, cujusque authenticum exemplar vidi ap. Hieronymum Marchionem de Carretto de Balestrino.* (c) *Producta fuit hæc Bulla ad acta Consilii Imper. Aulici per Marchiones Finar. in causa Carcheriar. & Calizan. contra Ducem Mantuæ & Montisferrati una cum præd. instrumento, videndaque adhuc extat.* (d) *Cit. Controvers. Finar. inter Docum. litt. V. p. 27.*

perio Carrettenses anno 1239. dominatos esse Naulo; (a) quidquid perpetuo retinuisse hujusmodi jurisdictionis jura, adeo ut sæpe fuisse eandem jurisdictionem revindicare; imo anno 1268. die 21. Octobris, quo tempore hujus Henrici ex Jacobo filio nepotes Conradus, Henricus, & Antonius fratres de Carretto avita bona, quæ scilicet fuerant Henrici II. avi, & Jacobi patris, *in Terzerias* sic dicta partiti sunt, Finarii Tertierio inter cetera hæc obtigisse, *Jura in Vetro*, *Veleto*, *Bergio*, *& Naulo*. Alioquin etsi hujusmodi alienationes darentur, irritæ fuissent absque Imperatoria consensu, absque quo iniri valide non poterant.

Dicta sunt omnia Henrici II. insigniora gesta ætatis suæ, quorum memoria superfuit nostris adhuc temporibus. Hæc autem spatio conclusa quadraginta quatuor annorum, ab anno scilicet contracti fœderis cum Genuensi Republica 1182. ad annum usque 1226. tempus Investituræ D. Friderici junioris, sexagenarium, aut etiam si mavis cum de Turri, (b) septuagenarium prope eundem extitisse evincunt, ultra quæ tempora, ut ut vixerit, diu tamen vixisse non potuit, eoque minus, si quos forte antea non habuit liberos, suscepisse. Eo adhuc anno investituræ orbum masculis Henricum eredi voluit Genuensis Advocatus, quia Henrici filiæ, illa quoque Gratapaliæ nupta, ab Imperatore vocatur ad successionem; cujus quidem vocationis in præcedenti Ahenobarbi concessione nullam concipiens necessitatem, si legitimo toro suscepta esset ab Henrico, eandem pellice natam constituit, & proximus est ut concludat, sine legitimis descendentibus, saltem indubitanter absque liberis masculis decessisse Henricum.

Celebre tunc Gratapaliæ nomen inter Italiæ proceres, (c) & honorificentissima procerum formula hac ipsa investitura distinctum, ibi: *quæ est uxor Gratapaliæ fidelis nostri &c.* meliora suggerit de illius uxoris conditione cogitanda, quippe verisimilius sit Gratapaliam alii potius quam nothæ cuipiam nubi voluisse. Nec defuit uxor Henrico, quæ in manum convenerit, eandemque prima tantum littera notam *A. . . . filiam Comitis Gebennensis*, jam supra (d) nobis prodidere documenta fundationis Monasterii S. Stephani de Millesimo. Porro unicum Advocati fundamentum, descendentes nempe legitimos utriusque sexus Henrici satis aliunde fuisse vocatos ex Ahenobarbi litteris, ea clausula: *& sui heredes omnes*, quia appellatione *heredum omnium* cujuscumque sexus successores intelligantur, (e) adeoque spuriam hanc esse debuisse, quam oportuit nova concessione ampulosoque meritorum Henrici catalogo vocare, non tegitur, quandoquidem, quicquid perversa facti veritate disputare voluerit Advocatus, jam dixi nomine *omnium heredum* adhuc tamen exclusas hoc loco fuisse feminas, utique si de feudis agimus non hereditariis, sed *ex pacto*, quæ vocant *& providentia*, qualia Friderici I. investitura reddita sunt illa Hen-

(a) *Annal. Saonens. ap. Ughell. Ital. Sac. Tom. IV de Episcop. Saonens. col. 1005.* (b) *Controvers. Finar. cit. S. 3. IV. p. 98. & seq.* (c) *De quo Caffar. Annal. cit. lib. VI. ad ann. 1229. col. 460.* (d) § *Memorantur ejus magnificentia &c. p. 51.* (e) *Ut supponit ob ea, quæ disputat Excurs. XXII. p. 63. & seq.*

Henrici Guercii, alterius Henrici patris; & idem clausula: *heredes omnes* dispositivæ parti principalique investituræ inserta non legitur, sed tantum adduntur ea verba clausulis executivis & aliorsum respicientibus, ita ut si quidam interpretum priore casu dubitent feminas excludere, hoc altero excludi apud omnes juris sit indubitati. (a) Verum enimvero non videtur hoc præcipuum, quod Fridericus junior concesserit Henrico ejusque filiis, sed magis illud: *ut de prædicta concessione investitura feudi tam Marchio memoratus, quam heredes sui masculi legitimi & feminæ ab eo descendentes, uno alteri succedente, gaudeant universi*, & ex feminis descendentes utriusque sexus, quem ad modum in Gratapaliæ nupta, sola Henrici filia, declarat, ibi: *nec non ejus heredes masculi & feminæ legitimæ ex ea, & ejus vero Gratapaliæ descendentes uno alteri succedente*, quibus gradibus ex Ahenobarbi tabulis locum fuisse nemo probabit umquam.

Sexus ergo sequioris legitimos descendentes habuit, quos relinqueret Henricus, iisque prospexit Imperator, deficientibus tamen masculis; unde illa: *etsi heredes masculos contigerit non esse superstites, filia sua &c.* Quare quum jam senem tunc eo investituræ tempore Henricum egisse ambobus, & Genuensi Advocato & mihi, optimo calculo evictum sit, nullaque suscipiendorum liberorum spes foret reliqua, inepta oppido fuisset ea conditio de descendentibus masculis Henrici, quorum evanuerat occasio. Multo igitur ex feminis, quæ substitutæ fuerunt maribus liberis Henrici, convenientius est hos revera tunc, quoscumque demum extitisse, quam, quod fingebat ille, fuisse nullos. Et revera bina præeunt instrumenta, alterum quidem rogatum in castro Cingii Jordano de Cingio Notario die 9. Novembris 1256. alterum testatæ ultimæ voluntatis seu codicilli, expleta apud Caminatam Finarii die 1. Februarii 1265. a Rudolpho de Cingio Notario Sacri Palatii, queis Jacobus, ille inquam Marchio Jacobus de Carretto, auctor ex Advocati nostri sententia revelati nominis Carrettensis in ora Ligustica & Finarii, quod antea cis Apeninum latuerat, filius declaratur hujus Henrici. Utriusque documenti clausulas inseram ex authenticis Cancellariæ Imperialis Aulicæ, quæ produxerunt Marchiones Finarii in causa Carcherarum & Calizani anno 1596. Primi verba sunt: *Anno Domini 1256. Indictione XIV. die 9. Novembris in præsentia testium infrascriptorum D. Jacobus de Carretto Marchio Savonæ, filius D. Henrici de Carretto, Marchionis Savonæ, volens implere donationem & eleemosynam, quam quondam prædictus D. Henricus pater ejus fecerat Monasterio S. Stephani de Millesimo &c.* alterius vero: *Dominus Jacobus de Carretto illustris Marchio Savonæ post institutionem filiorum suorum, quam fecit in ægritudine ultimæ suæ voluntatis, fecit plures donationes & legata, inter quas voluit & ordinavit prædictus Dominus Marchio, quod omnia dona & omnia instrumenta, quæ fecit ipse Dominus Marchio Monasterio S. Stephani de Millesimo, & quæ fecit Dominus Henricus de Carretto Marchio Savonæ, pater dicti quondam Domini Marchionis, & ea quæ fecit Domina A . . . Comitissa Savonæ, mater dicti quondam Domini Marchionis, eidem Monasterio, sint firma &c.*

O Nomi-

(a) *Rosenthal de Feud. cap. II. Conclus. XXXVII. n. 2. & in allegat. ibi C & alibi.*

Nomina utriusque parentis, tempora, & confirmatio donationis in favorem Monasterii per Jacobum filium, quod erexerat ejus pater Henricus, & Comes Gebanensis mater, quem ad modum ex aliis documentis supra (a) patefactum est, omne demunt dubium, fuerit nec ne Jacobus filius Henrici; & proinde siquidem tota ratio conjungendorum Carrettensium cum Marchionibus Savonæ, in eo videbatur consistere ex Advocati sententia, si hic Jacobus ab illis descendisse probaretur, hoc quoque eodem demonstravimus, præter illud, Savonenses Marchiones, ambos puta Henricos, qui vel ipso fatente (b) Savonæ dominati sunt, habitos dictosque esse *de Carreto*. Sed nec caruit Jacobus titulo Marchionis Savonæ, quem illi tribuunt bina prærelata documenta; quamquam Savonæ dominatum amplius fuisse non videatur aut ipsum, aut ex ejus posteris quemquam; unde forsitan est, cur in annalibus post Henricum Henrici Guercii filium nulli reperiantur hoc titulo insigniti Marchiones. Scilicet ut aliquando absolvam, de quo jam dicere sæpe inchoavi, eadem fuit Carrettensium fortuna ac aliorum Procerum Italiæ. (c) Quamdiu stetit Urbs Genua sub Missis Liguriæ, eademque pars fuit Comitatuum & Marchionatuum illius oræ, Avi illorum, qui Carrettenses dicti sunt, a quocumque Misso independentes floruere, usque adeo ut integras sibi arrogasse provincias suspicio fecat cum regalibus & omnimoda jurisdictione, quas deinde in feudum a D. Friderico I. recognovere, cœperuntque eisdem optimo jure competere; tametsi antea Ottoniano Diplomate ejusdemque amplissimis clausulis occasio occupandi illas provincias & regalia concessa magis fuerit, quam quæ subsecutis temporibus sibi arrogarunt. (d) Posteaquam vero eadem Urbs Genua exemplo tunc frequenti aliarum Urbium caput extulit, & pertæsa ferendi Missorum Imperium, libertatem prætulit subjectioni, feire fœdera, conventionesque cum Marchionibus finitimis paecisci adorta est, eosdemque paullatim, Carrettenses præsertim, præstationibus hominum obstringere tempore belli. Omnium honorificentissimam illam reputo anni 1140. (e) qua Bonifacii liberi, & fratres Manfredus, Hugo, Anselmus, Henricus, & Otto convenerunt cum Populo Genuensi adversus Obertum Comitem Albintimiliensium *ad acquirendum Vintimilium & Comitatum ejus, ubicumque pertineat ad Comitatum cum proprietate Comitis ab Armedano in jussum, & quod pertinet ad Comitatum*. Barbara ipsius conventionis verba retuli, quorum hic sensus est: ad acquirendum Albintimilium Comitatumque ejus, & quæcumque pertineant ad Comitatum, ubiubi Gentium sita sint, proprietatesque Comitis ab Armedano, vulgo *Arensano* infra, occidentem versus. Pacta conventionis fuere, ut Manfredus Marchio interveniret Januensium exercitui cum centum militibus, sic vocabantur olim nobiles, (f) & cum mille

(a) P. 51. §. *Memorantur ejus Magnificentiæ &c.* (b) *Controvers. Exer. Sol. IV. p. 98 præsertim* (c) *Vid. Otton. Frisingens. de Gest. Friderici lib. II cap. XIII. quem egregie illustrat Murator. mei Antichità Estens. P. I. cap. XLI. & seq.* (d) P. 74. §. *Sciunt Signori &c. & p. 41. §. Est adhuc quod vetat &c.* (e) *Edita ap. Terr. inter Docum. lett. S p. 35.* (f) *Murat. Antichità Estens. P. I. cap. V. p. 25. Ducang. in Glossar. v. Milites.*

mille pedestribus, exceptis Savonensibus Naulensibus & Albingaunensibus. Finariensium hactenus tantisper nulla mentio; silentii caussa paullopost patefiet.

Pro his auxiliis pacti sunt de bonis Albintimiliensium dimidium esse debere Populi Genuensis, & dimidium Marchionum; ea tamen lege, ut partis semis, quæ obventura erat Marchionibus, divideretur inter Marchiones, & Guillelmam Barcam Consulem Genuensem, qui Consul eandem acciperet in feudum a Marchionibus, id quod habent illa conventionis verba: *ita tamen ut de illa medietate Marchionum debet Joannes Barcha tenere medietatem per feudum ex parte eorum Marchionum &c.* Pars hæc fuit ab Armedano usque ad Finarium; & a Finario Albintimilium usque fuisse debuit altera Genuensium. Conventionis clausula huc pertinens hujusmodi est: *Praterea recordationem facimus, quod Sacramento dimittamus Marchionibus proprietatem Comitis in pace & in concordia, quam habet ab Armedano usque ad Finar. & a Jugo usque ad mare &c.* Atque ita convenere ambæ contrahentium partes, opem sibi mutuam pollicitæ ad perpetuam utriusque possessionem, voluerintque Sacramento teneri tam Marchiones quam Genuenses, non alter ex his alterutrum initurum fœdera cum Albintimiliensibus, nisi accedente mutuo fœderatorum consensu, & prout latius habet ejusdem conventionis textus.

Dixi me patefacturum cur excepti fuerint Savonenses Naulenses & Albingaunenses tantum, nulla injecta Finariensium mentione, a copiis nobilium cum gregariorum, quas se devinxerant Bonifacii filii præstare Reipublicæ bello Albintimiliensium, neque id possum longius hoc loco pertrahere. Savona igitur, Naulum, & Albingaunum ab his temporibus detrectare cœperant imperia Marchionum, eosdemque castris villis pagis circumjectisque curis jubebant esse contentos, sibique libertatem usurpabant creatis Potestatibus & Consulibus; regalia vero & jura Territorii, technis primum quæsita, mox exiguo pretio redimebant, metu minisque ad id pertractis Marchionibus. Technarum exempla evidentiora non afferam decantatis apud Savonenses Ottonis, Henrici Guercii filii, Marchionis de Carretto alienationum tabulis ad beneficium ejusdem Civitatis pretio librarum quinque mille monetæ Genuæ, intercedente ejusdem Ottonis fratre Ambrosio, tunc Savonensi Episcopo, quas, ut ajunt, instrumento apud Legimum excepit Raymundus Sacri Palatii Notarius anno 1192. Indict. X. nono Kal. Decembris, quasque præcessere uno anno antiquiores aliæ, rogatæ in D. Petri Guidoni Mediolanensi Notario. Similia his Ottonis IV Augusti & subsequentium DD. Caroli IV & Sigismundi Diplomata, de confirmatione & corroboratione prædictarum alienationum aliisque privilegiis, Civitati Savonæ concedendis, insuperhabitis cassatisque juribus Marchionum de Carretto. Nam hæc documenta, si legitima sunt; nec enim effugiunt falsitatis suspicionem, eadem procul dubio surripuere Savonenses; quandoquidem iis Otto Marchio alienasset, quæ habuisset numquam, saltem in solidum, divisis-

 set-

ſetque Marchias, natura ſua indiviſibiles, (a) & conceſſiſſent ac confirmaſſent Imperatores plurima ipſo jure irrita & invalida, abrogatis, cum propriis, tum aliorum Romanorum Principum conceſſionibus, quæ præceſſere, quæque ſubſecutæ ſunt, (b) in præjudicium tertii inauditi. Porro ad conventiones cum ſubditis refero illa pacta inter Marchiones Savonæ & Naulum de anno 1182. (c) Quod autem Marchiones ſibi ſatis adhuc non fiderint, & Naulenſes vel ipſo caſtro eosdem ſategerint depellere, leges fœderis teſtantur anni ſequentis 1182. pro Marca Savonæ cum Henrico, & vetuſtiores 1155. (d) pro Caſtro Nauli ſignantes, cum tribus Savonæ Marchionibus Manfredo, Henrico, & Ottone Boverio, & Genuenſi Republica, quibus cedere debuerunt Naulum per dies XV. Conſulibus Genuæ, mox illud iterum recepturi; idque ne vel ipſi Genuenſes quandocumque caſtrum invaderent, vel Savonenſes aut Naulenſes, ab oppoſito vero haberent, quibus quomodolibet invaſum tuerentur.

Hoc ſtatu agentes Civitates fidei tutelæque ſe ſuaque committebant cujuſpiam potentioris, eidemque paciſcebantur auxilia ſervitutem & fidelitatem absque ulla Marchionis Domini recognitione, prout videmus in ſuperſtitibus conventionibus ex iis, quas inıere Savonenſes & Albinganenſes cum Populo Genuenſi. (e) Hinc eſt cur exceperint a corpus præſtandis per Marchiones, Savonenſes, Naulenſes, & Albinganenſes, quos abunde ſciebat Respub. ſibi obventuros, quosque Marchiones ex ſuis eſſe cauſari potuiſſent ad complementum numeri conventi, nondum tunc ſatis convulſo illorum dominio in iis regionibus. Sed non ita quod ad Finarienſes eſſe poterat, quos conſtantis fidei gloria & amor jurium Sacri Imperii in perpetuum tenebat Marchionum devotionem, Finarium ſe receptis Marchionibus, ubi terram amicam incolerent, ubi defenderentur a validiſſimis ſubditis ingruente bello, quem ad modum ſæpe factum eſt, & demiratur depredicatque ſtuporem hoſtimorum ad tantam Finarienſium conſtantiam & fidem Anconitanus Scriptor & autoptes Marius Philelphus integris ſeptem *Finarienſis Belli atrociſſimi* voluminibus, quibus fortuna obſtitit & defectus emendati exemplaris, quo minus comparuerint in illa Scriptorum Italiæ ampliſſima collectione, ſine dubio tamen ſeorſim, notisque illuſtrata ſuo tempore prodituга, ut toti mundo pateat, quanta injuria Finarienſes afficiantur, quoties inter Ligures bello eſſe ineptiſſimos, latenti quidem, ſed non obſcuro conſilio evulgatum eſt.

Redeamus ad ſtatum Liguriæ, qui opportunior eſſe non poterat creſcenti ferme tunc, & imperium promovere annitenti Republicæ. Ex una parte rebellantes Civitates Marchionibus, in novarum rerum ſpem erectæ, paullo poſt, regiminis neſciæ, cedere illi debebant, quia potentiores non habebant vicinos, quibus præ Marchionibus adhæreſcerent. Marchiones vero ſubditis hinc minitantibus, illinc invaſionibus eadem cogente Republica, ad ejus nutum omnia facere debebant. Unde juramenta com-

(a) *II. Feud. tit. LV.* (b) *Deſiit namque poſſeſſione Marchiones & Comites, non deſinebant tamen juribus antiquorum ab Imperatoribus inveſtituras impetrare. Murator. Antiquit. Ital. Tom. I. Diſſ. VI. & Diſſ. VIII. col. 431.* (c) *Ap. Torr. inter Docum. litt. U. p. 27.* (d) *Ap. Torr. loc. cit. litt. U. 2. p. 111.* (e) *Ap. Torr. loc. cit. litt. K. litt. L. & M. p. 25. & ſeqq. & litt. X. & Z. p. 28. & ſeqq.*

compagnæ, jus Civitatis, & habitacula per menses conventa, cessiones feudorum Cayri & Nauli, subsecutæque investituræ, & alia mit quam plura. (a) Sed Marchiones quidem sibi saltem consulebant per privilegia DD. Imperatorum, quibus tantumdem infirmari satagebant, sibique restitui, quantum concti Genuensibus annuerant. At Civitatibus, quibus ad Imperatorem difficilior patebat accessus, hoc remanebat compendii, ferre leges conditionemque subditorum, & expetere quos temere expulserant legitimos dominos.

Lenis tamen Jacobus Marchio, suorumque misertus angustias, animum adjecit opem ferre deprecantibus, unaque avita jura male detenta recuperare Familiæ. Exceperat tunc fame, Henrico patre mortuo anno 1239. vices paternæ jurisdictionis, quo adhuc vivente res prope erumpebat in bellum, extrema deprecantibus Savonensibus & Albingaunensibus plus æquo gravatis a Republica. Primum ergo fuit ope Principum factionis Cæsareæ, & Friderici II. Rogerii Augusti gratia accedente obsidere Petram cum Finariensibus suis, castrum satis munitum, eudemque in potestatem recepto, ad Arcem Signi movere, quam Genuæ portam esse ferebant. (b) Paullo post hac quoque cadente, arcta obsidione Naulum pressit, quod pariter recepit in deditionem, fugato valido Genuensium exercitu, eorundemque Duce Fulcone Guercio capto cum nepote suo. Biennio elapso Genuenses refectis viribus terra marique, Savonam cinxerant præpotenti obsidione, qua Marchioni, Savonensibus, Albingaunensibus, ceterisque inevitabile minitabantur excidium. Impavidus tamen Jacobus hostes aggreditur mari, ubi ut victor extitit, postliminioque retulit quasdam ex suis navibus, quas antea hostes occupaverant, obsessis auxiliari aggressus est, & frustra aliis confœderatis tentatum opus feliciter absolvit, plurimo Savonam importato commeatu per medios hostes cum equitum catapbractorum quatuor alis, decemque peditum vexillis.

Non latebant Imperatorem tam egregiæ constantiæ monumenta; sed habebat alia quotidie intueri in plurimis Cæsareis expeditionibus, obsidione præsertim Parmensi, cui frequenter aderat Jacobus, non obstante proxima altera pro Savonæ Marchionatu, quam ferme eodem ipso tempore sustinebat. His pellactus Augustus, unam ex nothis filiabus suis, frustra desideratam Nepoti Gregorii IX. Summi Pontificis, annuit Jacobo collocari in matrimonium, (c) eundemque extulit anno 1248 ad insigne Vicarii Imperialis munus; (d) unde mihi credibile sit investituram quoque de feudis a D. Imperatore obtinuisse, tametsi hodie non extet amplius; imo jam diu

P perie-

(a) *Harum rerum plurima Documenta leguntur ap. Raphaël a Turre loc. cit. & alibi passim, quibus non tam hæc egregie illustrantur, quam quæ ante me video tradidisse ... celebr. Murator. Antiquit. med. ævi Tom. IV Diss. XLV. & XLVI præsert. col. 162 & 163 & Diss. LV. col. 742.* (b) *Justin. in Annalib. lib. III p. 82. & segg. Turr. cit. Controvers. Finar. Diss. IV p. 100 post. Caffar. lib. VI ad ann. 1240 & segg. p. 492 & segg. & Anonym. Genealog. Marchionum Finar.* (c) *Anonym. auctor MS. cit. Genealog.* (d) *Frideric. de Fríderic. in not. Tamol. Ligustic. loc. cit. ex Tristano Calcho Histor. lib. XIV. p. 306.*

perierit, quia litteris D. Caroli IV. inserta non est, in quibus alia ejusdem Imperatoris Henrico II. patri concessa reperitur. (a)

De hac tamen Jacobi uxore, ejusque nomine, & origine mira diversitas est apud auctores. Justinianum Genuensem (b) si audias, fuerit ea soror Lanfranci Moruelli: contra Senator de Fridericis (c) mavult Helenam Fliscam. Tristanus Calchus illam ait nomine Blancam, & Donatus Bossius quocumque nomine dissimulato narrat, notham fuisse filiam Friderici II. Imperatoris. Bossii & Tristani Calchi sententias componere per vetustum vetat instrumentum divisionis, inter hujus ex Jacobo viro filios initæ anno 1268. de qua paullopost plura. In eo namque, more illorum temporum, initiali littera C. designatur, quæ sigla Blancæ omnino non est. Memini Conradum Petingerium Blancam vocasse concubinam Friderici, quæ facile potuit cum filia a Tristano confundi. Variat etiam concubinæ origo, quam quidam Marchionis Montisferrati filiam constituunt, contendentibus aliis Dominorum fuisse de Aliano & Aquosana, a quibus processere Marchiones Lanceæ. In hac opinione excellit Sangiorgius adversus Petingerium, idemque docet, Fridericum nothos ex eadem suscepisse Manfredum Siciliæ Regem & binas filias, quarum nomina comperta non sunt. Confusioni facilis locus esse potuit, quia non unam concubinam habuit hic Imperator, (d) nec certum est, quot, & ex qua potius quam ex altera, liberos susceperit.

Ego vero, fixum modo nobis sit Jacobum uxorem habuisse C. . . Comitissam Savonæ, prout in vetusto documento dicitur, plura non exigam de eadem certo credi, quamquam revera ea mihi insedeat opinio, notham verisimilius videri Friderici Imperatoris; quippe non dicatur in instrumento cujus familiæ fuerit, & ingentia sint amoris argumenta, queis Jacobum prosecutus est Fridericus. Quamdiu namque vixit Imperator, victrices tulit manus per Liguriam noster Marchio, neque hilum prævalere Genuenses cum copiis suis. Ut vero, perfidia nothi Manfredi, veneno aliove mortis genere sublatus est, tunc vacante imperio, & in diversa studia ocyus pertractis confœderatis Principibus, ad fœdiorem servitutem redière Savonenses & Albingaunenses, Finariumque debuit se recipere derelictus Jacobus, & anno 1251. inire turpem pacem; (e) in qua tamen quicquid actum fuerit de feudis, nullo accedente Imperatoris consensu, nulliter & invalide gestum fuisse multoties per investituras & præjudicia (f) declaratum est. Sed nec diu stetit amplius Finarii, neque satis tutum ille ini tem-

(a) *Quando namque investitura mera erant confirmationes præcedentium, continebantur. Simile exemplum habemus in investiture, quam Henricus VII. vers. anno Antonio de Carretto, Antonii II. F. Marchioni Finarii, de qua non constat, nisi ex Laudo Prosbytero anno 1325. ubi enunciatur.* (b) *Annal. lib. III. p. 84. & post Caffar. ad ann. 1243. lib. VI. col. 493.* (c) *In Notat. Famil. Ligur. de Familia Flisca.* (d) *Vid. Panvin. Roman. Princip. lib. III. p. 215. de Friderico II. & add. Methiam Theatr. Histor. p. 951. de eod. Frider. II.* (e) *De Turr. inter Docum. litt. A. 2. p. 44. & litt. R. 3. p. 201.* (f) *Veluti Investitur. D. Caroli IV. de dat. Pisis 1355. Idib. Maji, & D. Maximil. I. de dat. Gropelli Papiæ die 8. Decemb. ann. 1496. & plur. subsequ. & Decret. Cæsar. in causa Finar. de 13. Maji 1560.*

temporibus se existimabat Jacobus, septus undique finitimis inimicis, ut ut Savonæ Potestatem egisse anno 1463. quodam instrumento edoctus, inter acta Emmanuelis Lucæ filio, in Archivo Notariorum Genuæ contendat Senator de Fidericis. Hinc ejus filii apud S. Stephanum de Millesimo egisse reperiuntur, ubi inierunt divisionem paternæ hereditatis, & per Vice-Comites regebant Marchionatum, quod officium, imminutum licet, diutissime mansit, etiam postquam Finarium redierant Marchiones, ad Alphonsum usque II. Unde reperimus *Vice-Comitatum Finarii* loco *Marchionatus* in instrumento quodam divisionis bonorum, de quo paullopost dicere instituam.

Non fuit alia Jacobi conjux, ex qua saltim liberos susceperit & successores, nisi hæc C . . Comitissa Savonæ, prout ait prætactum instrumentum divisionis anni 1268. ubi liberi memorantur Conradus, Henricus, & Antonius, eorumque parentes Jacobus Marchio & C. . . Comitissa Savonæ jugales; de his liberis etiam liquet in historia Pedemontium. Sed præter istos nominatur Aurelia, post patris obitum nupta anno 1272. Francisco Grimaldo Domino Monæci, & Vicario Provinciæ atque Niciæ, ex interpositione Regis Neapolis, & Provinciæ Comitis Caroli Andegavensis. Antequam moreretur Jacobus, auxit complevitque donationes Henrici II patris erga Monasterium S. Stephani de Millesimo, cujus rei jam supra indicavimus archetypum, supremoque elogio condito anno 1265 de quo itidem jam supra dictum est, superstites reliquit conjugem, & e tribus masculis duos impuberes. Fuerunt hi Henricus, & Antonius, quorum tutor Nicolosius ab Auria cum Conrado de Carretto majore natu, tam nomine proprio, quam utriusque pupilli, solemniter in Caminata apud S Stephanum de Millesimo assem paternæ hereditatis pro communi eorundem fratrum voluntate dividi annuit in tres uncias, *Terteria* sic dicta, anno 1286. plurium vasallorum & hominum accedente consensu & consilio (a)

Unciam Henrici constituebant Castra & Villæ Novelli, Montisclari, Castra Villæ & Territoria Bozolaschi, Bozolaschesi, Serravallis, & Arguelli; Villæ & Territoria Albareti; Castra Villæ & Territoria Clavexanæ Lovesis & Gorzegni. Omnia jura in Castro Villa & hominibus Lequi cum titulis & jurisdictione, omnibusque eo pertinentibus. Item domus terræ & possessiones in Alba sitæ, & in ipso Districtu Civitatis, jura præterea, tam dominii, quam jurisdictionis, quæ tenebant fratres in ceteris aliis castris, villis, castellaniis & hominibus, videlicet de Sinois, in castro villa territorio & pedagio Borghemali, castro villa & territorio Pruneti, & hominibus fidelitatibus vasallis ipsorum, & molendinis, castro villa fidelitatibus & hominibus Monexilii, Faysoli, Bossiæ, Nielliæ, Carretti cum vasallis fidelitatibus, omnibusque ad prædicta loca pertinentibus, & generaliter totus Vice-Comitatus Gorzegni, & quæcumque ad illum referebantur, vel alias referri consueverant, excepto castro & villa Gottasichæ. Denique medietas pro indiviso

P 2 do-

(a) *Instrumentum transumptum authenticum, excerptum Aycardo publico Finarii Notario, vidi apud Hieronymum Marchionem de Carretto, cujusque simile asservatur Mediolani inter scripturas Finarienses*

domuum, possessionum, redditium, fructuum & hujusmodi, quæ sita erant in Civitate & territorio Astensi.

Conradus autem pro sua uncia nactus est Castra Villas & Territoria Saliceti, Cingii, Rochettæ, Rochæ, Mallarum, Oxiliæ, & jura in villa & territorio Altaris, quæque tenebant in castro villa & territorio Gottasichæ cum medietate pro indiviso allodiorum in Territorio Astensi. Denique Antonio relinquebantur Castrum Burgi & Territorium Finarii; castrum, compagna & territorium Orchi, media compagna de Portus & Vosis, Media compagna & jurisdictio Varegoti, compagnæ & territoria Vetii, Carvexii, Maris, Monticelli, Pulageriæ, Venarum, Montisurdi, Calicis, Gurræ, Realti, & generaliter totus Vice-Comitatus Finarii, quæque ad Vice-Comitatum pertinebant tam de jure, quam de consuetudine. Ad hæc jura in castris villis hominibus fidelitatibus Vasallis Fodris Calizani, Vetiæ, Bardineti; nec non fidelitates vasallaticæ D. Lanfranchini Marcelli, & Matthæi Cebæ, & quorumcumque Valvasorum, subfeuda aliqua iis in locis habentium; omnia denique jura & pertinentiæ in Episcopatu & contra Episcopatum Albingauni, hominesque ejus, & totius Episcopatus, illa etiam, quæ possidebant in Vetio, Veletio, Borgio, & Naulo.

Hæc fuere, quæ inter prædictos fratres divisa sunt cum omnibus & quibuscumque eorundem pertinentiis & juribus, quæ antea habuerant communia. Indivisa tamen plura adhuc remanserunt, veluti pedagium, quod percipiebatur in Carcheris, nec non jura in villa hominibus jurisdictione, mero & mixto imperio, & quibuscumque aliis prædictæ Communitatis, in Garrexio, Pervento, Mulisco,Ceresolis, Ulmeta, Bagnasco, Maximino, & generaliter in valle Tanagri. Præterea jura in Boscheria, & sextum, quod accipiebatur ro Legnamine per terram eorum: jura in D. Manfredum & contra ipsum, & Dominos Clavexanes in Brescianos, in Marchiones de Ponzono, heredesque D. Jacobi Lanzavechiæ, in Dominos de Incisa, & illos de Quilano, in D. Nicolosium Auriam, & in Andoria, Cruceferrea, earundemque castria & villis pertinentiisque, & in Millesimo, omnibusque quæ obligabantur Dominæ C . . Comitissæ Savonæ, matri eorum pro suis dotibus; ea ceterum conditione, ut hæc omnia communia unusquisque pro sua tertia parte teneret pro indiviso, pacti sibi invicem auxilia in horum possessione, condictaque lege protimiseos in casu venditionis, confirmatisque Finariensibus privilegiis non pendendi pedagii, una cum ceteris libertatibus & immunitatibus, quibuscumque hominibus ipsorum antea concessis. Publicano salis Raymundino de Mari, qui gabellam ab ipsis conduxerat Finarii, si quid damni contingeret occasione prædictæ gabellæ, sive ob statutum factum Genuæ, sive alia de caussa, id emendare & reparare convenerunt, omnes denique vias terræ ipsorum in eodem statu, forma, & conditione relinquere absque ulla innovatione, in qua tunc esse reperiebantur.

De his bonis communibus novam inierunt divisionem anno 1276. die 8. Augusti pro locis Cruciferreæ, Millesimi, & Carcherarum, cujus instrumentum rogavit Millesimi Joannes de Cingio Palatinus Notarius Ad

hanc

hanc divisionem alludit Anonymus auctor Genealogiæ Marchionum Finarii in hæc verba: *Antonius primogenitus, contra imperiales & gentilitias leges anno 1272. in tanta temporum calamitate, quibus ad omnium Superiorem nullus dabatur recursus, fuit fratribus Conrado, & Henrico jurisdictiones Cingii, Spigni, Milesimi, & Novelli, & aliorum quorundam Castrorum, quamvis Marchiæ attinentium, vel etiam invitus relinquere adigitur &c.* Nihil verius querela de divisionibus Feudorum & Marchionatuum, pessima tunc recepta hujusmodi consvetudine in nostris regionibus, jam quoque Clariss. Muratorio (a) observata, ubi discerpebantur Provinciæ, & quæ loca fuerant Marchionatuum accessiones, fiebant ipsa Marchionatus, appellatione desumta a Marchione Domino, exigua licet & minimi momenti. Cetera enim, quæ conqueritur Anonymus de jure Primogenituræ, de Feudo Spigni, non reguntur ob ea, quæ dicta sunt, suumque jus, Spigno demto, nondum per ea tempora dominii Carrettensium, fundare poterat Marchio Antonius, quia sibi cessum fuerat Finarium cum omnibus dependentiis & curiis, cujus accessiones erant illa castra, quem ad modum & hodie ex his aliqua esse reperiuntur.

Insecutæ sunt aliæ plurimæ divisiones, præsertim in linea Finarii; sed nulla fuit celebrior prærecensita anni 1268 a qua tres familiæ de Carretto propagatæ sunt, unam puta *de Tertierio Novelli*, alteram *Millesimi*, tertiam *Finarii* pro totidem fratribus, Jacobi I filiis, Conrado, Henrico, & Antonio, qui easdem duxerunt. Hos & non alios cognoscimus Henrici Guercii successores & propagatores linearum de Carretto; & quicumque gestiat illinc derivari, ostendat nobis, si nos mavult adstipulatores, uno aliquo ex tribus hisce Tertieriis descendisse. Feuda tamen, quæ forsitan aliqui possideant, eadem Arma Gentilitia, appellatio de Carretto & hujusmodi præsumtiones in hac Gente nequeunt attendi, quia nimium oscitanter permisere veteres iis abuti quoscumque, etsi nihil minus quam ad illa jus haberent. Mihi quæ Carrettensium familiæ optimæ visæ sunt, abundanterque probasse genealogiam suam, easdem recepi in tabulas, ceteras autem omisi, donec certius edoceant de earum origine, quam repente, saltem cum Carrettensibus recte & legaliter conjungere usque adhuc non potuimus.

Manuductionem ad ulteriores gradus promovere non constitui nec expedit, quippe jam eo devenerim, ubi nulla amplius difficultas est in monumentorum longa copia superstite, quibus gradus omnes instrui possunt & demonstrari; & quamquam hoc ipso adigar totidem heroas silentio præterire, lineæ præsertim nostræ Finariensis, omnium gloriosissimæ florentissimæque, de quibus dicere voluissem; id tamen utile ex parte est, ne postequam illa nos fugiet, & hereditas male convertetur ad extraneos, lugubre carmen Carrettensibus occentare debeam, quos contra ad virtutem pellicere animus fuit, & ad Avorum decus, a quibus processisse tot argumentis evici. Haud aliqoquin illis conveniunt, quæ habet Muratorius, (b) neque eorundem fortuna luxata adeo est, ut in reliquorum

Q nobi-

(a) *Antiquit. Ital. Med. Ævi Diss. VI. col. 319. Tom. I.* (b) *Antiquit. Ital. cit Diss. LIV. col. 700 Tom. IV.*

nobilium sortem fuerint conjecti, in quam nec hodie conjecti dici possunt; quippe ad extrema usque hæc tempora florentissimam tenuerint Langarum regionem, prope integram, immediate Sacri Imperii subjacentes dominio: & nuper illis turbam Feudorum immedietas Vindobonensi fœdere, non abstulit alteram personarum, nec ademit jus petendæ omnimodæ reparationis, quam totum S. R. Imperium eisdem præstare tenetur, & publico tractatu teneri præstare, præstiturumque promisit D. Carolus VI. Cœterum itaque receptur, utque mihi libentius assentiantur, qui de inclytæ hujus Gentis origine dubitare potuerunt; cæteri autem intelligant temere obloquutos fuisse, nec laudabili neve prudenti consilio, testimonia aliquot afferam, quibus morem gerere par sit, & nefas obsistere. Æneæ Sylvii Piccolominei cordatissimi viri, a secretis antea Friderici III. Aug. quique postea Summus Pontifex renunciatus, Pius II. dictus est, gemina hæc sunt in descriptione Concilii Basileensis & Episcoporum & Abbatum, qui ad id venerant. *Aleramus Sancti Benigni Fructuariensis (Abbas) vir tam moribus, quam ætate gravissimus, cui ex nobilissima domo de Carretta origo est, quæ tanta olim sublimitatis fuit, ut Imperatores quoque habere meruerit, & huic quidem Germanus est Matthæus Albingaunensis Episcopus, cujus in omni re prudentiam per plures annos Sacrum Concilium demiratum est, & horum sunt qui alterum vidit, utrumque videt, sic est uterque & habitu corporis & vivendi consuetudine assimilis.* (a) De hoc eodem Albingaunensi Episcopo alio loco locutus, ait: (b) *Albingaunensis quoque, vir nobilissimus, & ex Cæsarum sanguine descendens, quamvis numquam animum a Concilio alienasset, ne tamen ab aliis Oratorum Principibus videretur discrepare, haud absimilem querimoniam habuit de neglectu Prælatorum.*

Levia hæc fortassis videbuntur historiographi politissimi; sed DD. Imperatorum testimoniis confirmata sunt, & imprimis D. Maximiliani I. Aug. eo Privilegio, quod Pyhrro & Catharinæ jugalibus, pro feudis Prunetti, Levicis, Carretti, Altesini, Scalettæ, Brovidæ, & pro sexta parte Ursceolarum die 16. Maji anno 1509 concessum est, cujus initium insero (c) *Quod cum pro parte Magnifici Nostri, ac Sacri Imperii fidelis dilecti Pyhrri de Carretta ex Marchionibus Savonæ, & Catharinæ ejus uxoris, filiæ quondam Joannis de Carretto, ex eadem prosapia & domo genitæ, fuerit nobis humiliter supplicatum, quatenus cum alias per Divæ recordationis Ottonem, Romanorum Imp. prædecessorem nostrum, cuidam Aleramo Marchioni, a quo Domus & Prosapia Marchionum de Carretto originem traxerunt, anno Domini nongentesima sexagesima septimo, decimo Kalendas Aprilis Indictione decima, quædam loca in feudum concessa fuerint &c.* D. Caroli IV. eadem prope fuit sententia in Investitura, Joanni II. Montisferratensi Marchioni concessa VI. Idus Majas 1355. (d) qua surripere conatus est Joannes bona omnia, quæ quondam

(a) *De Concil. Basil. lib. III p. m. 92. Helmstad 1700 in 4to.* (b) *De Concil. cit. lib. I. p. 70.* (c) *Authentice productum fuit coram D. Carolo VI anno 1712 ab Advocatis Serenissi. Sardiniæ Regis contra Vasallos Langar.* (d) *Hæc investitura inserta est olim Montisferratensibus, productis ab Advocatis Ducis Montisferrati in causa petitorii feudorum Millesimi Cœyri & Desiæ contra Comitem de Millesimo, & legitur ap. Lunig. Cod. Diplom. Tom. I. Sect. II. class. I. cap. IV. n. IV. col. 1340. & seqq.*

dam fuerant Alerami primi Marchionis, quæque successione obvenerant Marchionibus *de Carretto, de Ceva, de Cravexana; & de Bosco, de Ponzone, de Busca, de Gartzia, Incisa, omnium de progenie prædicta, & aliorum omnium, si qui forent &c.* Audivimus Imperatorum recognitione confirmari Aleramum auctorem fuisse familiarum de Carretto, modo audiamus eundem Aleramum a D. Carolo V. 26. Febr. 1544. haberi Gentis Saxonicæ & stirpis Withikindei; (a) *Hinc est, quod cum nobis ex parte Magnifici Nostri, & Imperii Sacri fidelis dilecti Hieronymi de Carretto ex Marchionibus Saonæ expositum fuerit, qualiter & sicuti quondam Ludovicus de Carretto ex Marchionibus Saonæ, descendens & unus ex successoribus Illustrissimi quondam Aledrami, Saxoniæ Ducis, & Marchionis Montisferrati, & Saonæ, adhæsisse comperiatur illustrissimis quondam Mediolani Ducibus, pro eo tempore existentibus &c.*

His addere possem alia plurima minorum Gentium testimonia, & Marchionum Montisferrati, postquam præsertim ea linea in alteram Palæologam per feminas transmutata est, Theodori, inquam, Montisferrati Marchionis investituras conventionesque cum Carrettensibus de anno 1393 die 20. & 23 Junii, (b) quorum omnium ideo rationem inire nolim, quia si nostris temporibus non cujusque Scriptoris probatur auctoritas, minus certe valebit eorum, de quibus suspicio est, abundasse in sensu proprio ad illustrationem Familiæ, a qua & ipsi quodammodo pendere videbantur. Utcumque tamen Petri Justiniani, Patricii Veneti & Ordinis Senatorii elogium, quo Carrettenses prosecutus est, non prætereo, ut omnino apud omnes veteres emunctioris naris unam hanc sententiam perpetim fixam fuisse appareat, eandemque deinceps esse debere apud cordatos viros jure suo exigant Carrettenses, siquidem illi favere omnia, quæ innotuerunt, neque aliter posse intelligi vel explicari absque errore, patefactum sit. In hæc verba sua sensa expressit Justinianus: (c) *Nec hoc loco, licet Historiæ series aliquo modo intercidatur, res memoratu digna de viro Principe Alphonso, hujus nominis II. Marchione Finarii, in Liguribus oppidi, retexenda est, qui nostra Reip. amantissimus, Venetis etiam scriptis merito illustrari debet. In hoc enim viro est tum generis stemma, virtusque animi singularis plurimum elucet, cujus origo effluxit ab Ottone Magno Duce Saxoniæ, primo Imperatore, & Adelheyden Alberti Regis Italiæ filia, a qua natus est Otto II. Imperator: ab eo autem, & Theophania ejus conjuge, ac Imperatoris Constantinopolitani filia, nati sunt Otto III. Imperator, & Alasia, quæ fuit uxor Alerami Saxonici, filii Withikindi, cui Alerami Otto Imperator in conjugii sui gratiam elargitus est multa feuda in regione Liguriæ, Montisferrati, & alibi, ut apparet*

 in

(a) *Original. asservatur in Cancellar. Imper. Aul. lit. & authenticum productum fuit Mediolani in caussa Franchi & Levoti.* (b) *Altera producta fuit a Duce Mantuæ & Montisferrati in caussa Carchentaria & Cailiane contra Marchionem Finarii, asservaturque in Cancellaria Imperiali, & edita est in Cod. Diplom. Ital. cit. Tom. I. Sect. III. cap. VI. n. VI. & col. 2125. & seqq. altera vero producta fuit ab Agente Sereniss. Sardiniæ Regis, qua Ducis Montisferrati anno 1731. in caussa petitorii feudor. Millesimi Caget & Degho contra Comitem de Millesimo.* (c) *Histor. Venet. lib. XV. p. m. 324. Argentorat. sumtib. Lazar. Zetzneri 1611. fol.*

su privilegio donationis, Dat. Ravennæ X. Kalendas Aprilis nonagentesimo nonagesimo septimo, a quorum jugalium secundogenito originem sumpsit domus de Carretto nobilissima, cui obvenit Marchionatus Savonæ & Finarii, ac pars feudorum & bonorum in dicta Ottonis donatione comprehensorum, e quibus per continuatam lineam descenderunt quamplures excellentes viri, & inter reliquos modernus Marchio Alphonsus, qui omnes a Divis Cæsaribus fuerunt investiti, ut constat per privilegia &c.

Sed nec molesta erit Lectoribus, aut ab hoc loco aliena Serenissimi Electoris Joannis Georgii Marchionis Brandemburgici hactenus anecdota epistola ad Illustrem Principem Alexandrum Carrettum, Finarii & Savonæ Marchionem, qua de obitu ejusdem fratris Alphonsi condolet. Integram describo ex originali, quod servat Vir Amplissimus & de tota Gente sua optime meritus Hieronymus e Marchionibus de Carretto de Balestrino. — S *Illustris Princeps, amice dilecte! Injucundum sane nobis extitit, quod de obitu Dil. Vestræ Fratris, Illustris quondam Principis Domini Alphonsi Carretti, Finarii & Savonæ Marchionis felicis memoriæ intelleximus. Neque enim Dilectionem ejus tantum benevolentia nostra complexi fuimus, sed amavimus etiam, quod & Sacri Imperii Princeps esset, & ob generis antiquissimi nobilitatem, qua Saxonicam stirpem cognatione vestra attingitis; tum etiam quod ille summa amicitia & studio Nos, Familiamque nostram Electoriam Marchionum Brandenburg. semper coleret. Hæc autem quum Divinæ voluntati permittenda sint, gratum nobis est, quod Dil. Vestram ei successorem reliquit, quodque ex literis Dilectionis Vestræ videmus, illam non minus amicitiam ejus, quam bonorum heredem esse cupere. Hanc igitur Dilectionis Vestræ studiosissimi animi promtissimam voluntatem, quam tam luculenter nobis affert, amanter accepimus; & si quæ Dilectionis Vestra grata acceptave facere, aut Finariense negotium auctoritate nostra juvare poterimus, in eo benevolentiam nostram & gratificandi animum desiderari non patiemur, Dilectionem Vestram benevalere optantes. Dat. Coloniæ ad Spream Cal. Aprilis anni* CIↃIↃCLXXXIV.

Joannes Georgius, Dei Gratia Marchio Brandemburgen.
Sacri Rom. Imperii Archi-Camerarius, & Elector,
Prussiæ, Stetini, Pomeranorum, Cassubor Vandalor.
& Crosnæ in Silesia Dux, Burgrafius Norsberg.
Princepsque Rugiæ.

Manu ppria Jon. gg.
M.

A tergo: *Illustri Principi Domino Alexandro Carretto, Finarii & Savonæ Mar-*
(L. S.) *chioni & amico nostro dilecto.*

Quid possim amplius, aut quid afferre præterea necesse est ad tantam nobilissimæ originis evidentiam? Possim ego quidem plura, & quæ ferme deesse videbantur. Epistolam dedi Serenissimi Electoris Brandemburgici, parem alteram ex autographo, itidem anecdotam subjiciam Serenissimi Saxoniæ Ducis & Electoris ad eundem Illustrissimum Principem Alexandrum Carrettum, Marchionem Finarii, eadem occasione con-

feri-

scriptam, qua de sua Familia Carrettenses haberi & esse recognovit. (a) *Salutem & operam nostram in omni benevolentiae genere promtissimam Illustrissime Princeps, amice plurimum nobis dilecte! Illustrissimum Principem Dominum Alphonsum, Marchionem Finarii, Fratrem Dilectionis Vestrae, & vivum tanquam unum e nostra Familia dileximus, & fato functum pio affectu prosequimur, cujus obitu quantus Dilectioni Vestrae dolor acciderit, ex nostri animi sensu aestimare possumus. Sed quia ille in tanta Reipublicae Christianae & rerum omnium perturbatione ad caelestem Aulam evocatus, veluti ex infanis tracti maris fluctibus in portum tutissimum pervenit, haud certe aequum & pium est, nos fideli amico, & Dilectionem Vestram optimo fratri hanc tantam felicitatem invidere. Itaque & nos, quod unicum vita functo beneficium praestare possumus, memoriam ejus honorificam in terris retinemus, & Dilectionem Vestram etiam atque etiam hortamur, ut moderate hunc casum ferat, neque dubitet Quicumque nulla operum suorum fiducia subnixi, in salutifero JESU CHRISTI, unici ad DEUM Patrem salutis nostrae deprecatoris merito acquiescentes & plane confidentes, ex his corporis mortalis vinculis, veluti e carcere emittuntur, eos continuo in numerum beatorum Spirituum aggregari, ubi cum sempiterno gaudio perfruantur, plus certe habent & possident, cur gratulari illis potius, quam horum caussa condolere debeamus. Reliquum igitur est, ut quomodo Dilectio Vestra in omne defuncti fratris jus successit, ita in eandem nos quoque deinceps benevolentiam nostram ab eo, qui nunc extra omnem fortunae humanae aleam positus est, transferamus. Id autem vel ideo etiam faciemus libentius, ut desiderium Divi Alphonsi novo Dilectionis Vestrae amore leniamus, quam feliciter valere cupimus. Dresdae VII. Idus Aprilis anno MDLXXXIV.*

Augustus Dei Gratia Dux Saxoniae, Sacri Romani Imperii Archi-Mareschallus & Elector, Landgravius Turingiae, Marchio Misniae, & Burggrafius Magdeburgensis

Augustus Elector.

A tergo: *Illustrissimo Principi, amico nobis plurimum Dilecto, Domino Alexandro Carretto Principi, & Marchioni Finarii.*
(L. S.)

Quam ob rem haud mirabuntur aequi rerum aestimatores, si haec & plurima alia perpendens Serenissimus Mediolani Dux, Joannes Galeaz Maria, ubi Carrettenses Finarii donavit Mediolanensium totiusque inclyti Ducatus civitate, non minorem civitatibus ipsis splendorem accessionemque ornamenti se impertiri fatetur, quam Carrettensium dignitas eo honore incrementum sit acceptura. Honorificentissimum diploma, quod

 authen-

(a) *Originale servat idem Marchio Hieronymus, quod humanissime mecum tum praesenti communicavit.*

authenticum Mediolani asservatur in Archivo Marchionum Finarii, ex pervetusto exemplari hac occasione proferam, & publica luce primus donabo. — *JOANNES GALEAZ MARIA Dux Mediolani &c. Fuerunt Majores Magnifici D. Alphonsi Carretti, Finarii Marchionis, apud Illustrissimos Dominos Prædecessores nostros in magno semper habiti pretio & honore, tum quod ipsorum genus & vetustate & opibus ac Statu in Italia, ut quisque non ignorat, quam clarissimum sit, ex eo, quod in tempus omne viri præstantissimi prodierint; tum quia ipsis Dominis Prædecessoribus nostris sic dediti sic affecti erant, ut nihil magis cognatae viderentur, quam ea omnia promptissimo animo subire, quæ eorum Excellentiis grata ac Status sui proficua fore quovis modo dignoscerent. Nos autem, quando & rationes ipsæ, quas supra commemoravimus, cessarent, ut eundem Dominum Alphonsum Marchionem, ac Dominos Fabritium Equitem Hierosolymitanum, Aloysium, Barnabam, ac Henricum, omnes ipsius fratres ulterius unice diligeremus, sicuti sane facimus, eosdemque illis quaqua possumus via omnibus prærogativis honestis & beneficiis in ditione nostra prosequi, non immeritis primum allicimur & singularibus eorum animi & corporis dotibus, quibus amore & gratia Principis cujusque dignissimos (fe) efficiunt, deindeque a progenitorum suorum institutis minime degenerantes, tot jam summæ fidei & devotionis ipsorum in nos Statumque nostrum dilucida argumenta ediderunt, ut majora edere nequivissent; cum sæpius a nobis requisiti presto semper affuerint, neque ulli unquam labori, nulli dispendio, nulli incommodo, & nulli etiam propriæ salutis discrimini pepercerint, modo facere se cognoscerent, quæ honori nostro ac Status nostri vel conservationi vel augumento futura essent. His igitur promotionibus, & aliis & quam pluribus, quas brevitatis caussa nunc minus recensendas putavimus, ut ipsi fratres, tam de Nobis Statuque nostro benemeriti, ex judicio aliquo intelligant se, non minus quam decet, a nobis magnifieri, habeique in eo loco, quo digni creduntur, conveniens admodum judicavimus, illos Civitatibus universi Dominii nostri donare, præsertim quum non minorem splendorem & ornamenti accessionem exinde futuram Civitatibus ipsis, quam eorundem fratrum dignitas incrementum acceptura sit animadvertimus. Quare harum serie, motu proprio, & ex certa scientia, de nostra plenitudine potestatis, omnibusque modo jure via & forma, quibus melius & validius & efficacius fieri possit, memoratos fratres, & eorum quemlibet, suosque filios & descendentes, ac descendentium descendentes in infinitum, Cives & de jurisdictione hujus præclarissimæ nostræ Urbis Mediolani, nec non & Civitatum nostrarum Papiæ, Cremonæ, Parmæ, Placentiæ, Alexandriæ, Dorthonæ, Laudæ, Novariæ, Comi, & aliarum quarumcumque nostrarum terrarum, tam præsentium, quam futurarum facimus constituimus & creamus, ita & taliter, quod iidem fratres, suique filii & descendentes ut supra, & quilibet eorum, ab hodierno die in antea in eis Civitatibus & Terris, omnibusque earum territoriis & jurisdictionibus contrahere, distrahere, emere, acquirere, alienare, ceteraque facere agere & exercere possint & valeant, tam in judiciis, quam extra, quem ad modum & alii cives, incolæ, & originarii dictarum civitatum ac terrarum, & quæ occurrentia ibidem onera sustinent, contribuunt, facere possunt, & posse dignoscuntur; decernentes & intendentes eos omnes, & eorum quemlibet, fungi posse & debere in dictis civitatibus, & ubique terrarum ipsarum, omnibus illis privilegiis, pactis, juribus, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, & prærogativis, honoribus & facul-*

tati-

tatibus, dignitatibus, officiis, regiminibus dictarum Civitatum & Terrarum quo ad datia & alia quaecumque gravamina, quibus alii nostri cives, veri, ultimi, incolæ, & originarii dictarum Civitatum & Terrarum nostrarum, ibidem fulcientes & onera subeuntes & sustinentes gaudent, & gaudere & uti posse dignoscuntur, perinde ac si ipsi fratres, suique filii & descendentes, veri & naturales cives, incolæ & originarii civitatum & terrarum prædictarum, ibique onera subeuntes ut supra, habitantes & per immemorata tempora extitissent, & præterea ut majorem gratiam ipsi fratres a nobis sentiant, concedimus & dispensamus, quod quæcumque mulieres dictarum Civitatum & Terrarum nostrarum & cujuslibet ipsarum, possint & valeant cum quibuscumque etiam feudalibus, fortalitiis, & aliis quibuscumque, matrimonio copulare ipsis fratribus, & cuilibet eorum, & post matrimonium tam ipsæ mulieres, quam quæcumque sui descendentes possint & valeant succedere, & ad successiones quascumque admitti tam ex testamento, quam ab intestato, perinde ac si ipsi fratres & quilibet eorum tempore contracti matrimonii fuissent veri originarii cives & incolæ civitatum, terrarum, & locorum ipsarum mulierum, seu & bonorum, hereditatum, de quibus tractarentur, & ibi onera sustinerentur; & non obstante quod ibidem habitationes non tenuerint cum aliqua familia, nec aliqua bona acquisierint secundum formam decreti nostri, etiam possint & valeant uti beneficio non solvendi Datium ritque, & etiam non contribuendi ad onera, ad quæ tenentur Forenses seu creati cives, & hæc omnia & singula quibusque decretis nostris, provisionibus, statutis, legibus & juribus, tam communibus, quam municipalibus, & quibuscumque aliis in contrarium disponentibus, vel aliter formam dantibus, præsertim Statutis disponentibus in effectu mulieres non posse cum hereditatibus nubere extra jurisdictionem, & quod ipsæ aliter nuptæ & earum descendentes non possint succedere, vel prout in ipsis statutis continetur, nec non decreto edito circa illos, qui creantur vel creati sunt cives, vel tenentur habitare & acquirere, ut in ipso decreto continetur, & etiam decreto nostro edito 1423. die sexta Octobris, quod incipit Providere volentes non attenti. Quibus omnibus & singulis in hac parte & ex certa scientia, de potestatis plenitudine, eam absolute motu proprio derogamus & derogatum esse volumus jubentes & mandamus, supplentes tenore præsentium omnes defectus cujuslibet sollemnitatis, qua dici posset in præmissis fuisse servanda. Mandantes quibuscumque Officialibus & subditis nostris, feudatariorumque nostrorum, & omnibus aliis, quibus spectat & spectabit, quatenus has nostras civilitatis litteras observent & faciant ab omnibus inviolabiliter observari, cum ea declaratione, quod si ipsi fratres, jam cives etiam aliquarum Civitatum nostrarum reperientur, non intendimus per hanc civilitatem illis præjudicium fieri, sed jus juri addi. In quorum fidem præsentes fieri jussimus & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Datum in Arce nostra Portæ Jovis Mediolani die 26. Augusti 1485. Minus usitatæ formulæ hujus Diplomatis, *fratres ultimos, ultimos cives*, ne quem perturbent, hunc habent sensum, ut *fratres ultimi* sint fratres, præter quos non habuerit alios Alphonsus I. cui privilegium concedebatur, qui ad civitatem possent provocare, (a) & ulti-

R 2

(a) *Hujus interpretationis fundamentum suppeditant nobis, quæ eruditissime disputat doctiss. Alciat. ad l. cum vulgari 103. ff. de V. S. cum add. Brisson. ejusq. additionatoris v. Ultimus.*

ultimi cives, cives excellentiores, (*a*) patricii scilicet, quem ad modum antiqua lingua vocabantur. Idem est de verbo *facilioni*, quod equidem non putem posse aliquem interpretari, prout Festus (*b*) ex usu romani sermonis, tunc vigentis, exposuit, sed exponi debere *exactiones operarum*, qua acceptione frequentius est in medii ævi reliquiis. (*c*)

Quam ob rem dolere debeo Scriptorem Principem, non jam dicam unius Italiæ, cujus, juris maxime Publici, index extitit & restaurator, sed totius ævi nostri, Ludovicum Antonium Muratorium, inepto judicio Galveani Flammæ tantopere attribuere voluisse, ut eodem uti potuerit, (*d*) quo Marchionibus Malaspinarum, de Romagnano, aliisque, posthabentur vetustate Carrettenses. Nihil ego contra vetustissimas easdemque nobilissimas hasce familias moliar, Malaspinarum præsertim alteram, quam a multo jam tempore colo, & scriptis meis utcunique nuper ornavi; (*e*) imo par esse existimo easdem suspicere & intueri longa Avorum virtute clarissimas. Si tamen cum his committamus Carrettenses, ac ego de vetustate & gloria contendere cum illis posse defendam incerto marte, in quo nos antea contentio fugiat, quam de victoria decernere possimus, nullam cuicunique inferam injuriam, sed asseram, quod facile possim demonstrare. Quandoquidem si de Constantiensis Pacis Oppizone Marchione habent, quo jure glorientur Malaspinæ, e progenitoribus suis Henricum II. primo loco dabunt Carrettenses, qui Mediolanensem populum, media Pontificis opera, Friderico II. Rogerio reconciliavit, (*f*) & Manfredi Odonem sive Oppizonem aut Oppicium, per quem Mediolanenses cum Gregorio X. Pontifice Max. redierunt in gratiam. (*g*) In eadem ipsa Constantiensi Pace, nonne in Henrico Guercio suo, Mediatore & Plenipotentiario, ut vocant, Imperatoris, primo post Astensem Episcopum, (*h*) quique Comiti Savoiæ ceterisque præcedebat, (*i*) acquiescere affatim possunt? Celebres Italiæ Proceres, Marchio Wilhelmus de Monteferrato, Marchio Manfredus de Wasto seu Vasto, Albertus Marchio de Incisa, & Marchio Henricus Werchius, (Guercius) quos novit Muratorius (*k*) ex investitura Marchiæ Guidonia, Henrico Marchioni a Friderico I. concessa anno 1167. ejusdem seminis sunt, a quo fluxere Carrettenses. Ab his ad Aleramum usque inclita series Marchionum Vasti, & Montisferrati. In Aleramo deinde eximia dignitas & potestas

(a) *Sic dicimus Ultimum bonum, ultimum amicitia, & summo hucusque, quorum aliqua collegit Rob. Stephan. Thes. ling. lat. hac voce.* (b) *De Verb. Signif. lib. VI. p. m. 140 Amstelod. sumtib. Huguetanor. 1700. in 4.* (c) *Vid. du Fresne in Gloss. v. Fallio n. 3. & in verbo Corvata &c.* (d) *Nell' Antichità Estens. cit. P. I. cap. XXVI. p. 257.* (e) *Uberior Genealogia ex illis comprobata Demonstr. in pandis Investitur. Feud. Treschatti, cost & praf. 2. Jun. 1740. C. l. A.* (f) *Ludovic. ab Eccles. in Histor. Pedemont. p. 79. nisi forte confundat hunc Henricum II. cum Henrico I. patre, vocato Guercio; Annus enim hujus reconciliat. Friderici II. fuit MCCXXX. aut certe MCCXXXIII. vid. Illustr. Murator. Antiquit. Ital. Diss. XLVIII. col. 325. & seq. Tom. IV. non autem MCLXXXIII. ut tradit idem ab Ecclesia, sed facile fuit in his annis errare.* (g) *Anonym. auctor cit. Genealog. MS. cujus locum supra dedimus §. Quoniam autem &c. p. 46.* (h) *Vid. Documentum ap. Murator. Antiquit. Ital. Diss. XLVIII. col. 303. & col. 312. Tom. IV.* (i) *Ap. Murator. loc. cit. col. 277.* (k) *Murator. loc. cit. Diss. VI. col. 319. Tom. I.*

flas Comitis, inclyti Marchionis, & Missi (a) Imperatorum & Regum Italiæ eodem prope tempore quo Marchiones Malaspinæ per Obertum Lupitem, & ante annum, hoc nomine & dignitate nobis innotuerunt. (b) Quod si vero transcendamus Aleramum ad Withikhindum usque Magnum, jam Carrettenses conjungimus cum plurimis Germaniæ Principibus & Imperatoribus, vel cum ipsa Regia Sabaudiæ Domo, quicquid contenderint alii, eosdemque suo fonti, Serenissimis scilicet Saxoniæ Ducibus restituimus. Hinc quantam haurient nobilitatem! si debeant repetere origines Regum Saxonum, ut desperare prius oporteat exitum, quam metam attingere.

Hac ratione & nos ducti in contexendis tabulis, a Withikhindo Magno easdem exordiri instituimus, quas jam subjicere nihil vetat. Cumprimis tamen inedita elogia quorundam Marchionum Finarii, quæ composuit, Alphonso forte II. Marchioni, dum viveret Vindobonæ, Illustris Joannes Sambucus a consiliis D. Maximiliani II ejusdemque Historicus & Archiatus ex vetusto exemplari (c) describam, et quum de his Marchionibus loqui debuerim omittere, eos tamen penitus prætermisisse non doleam, majoremque meam Lectorum gratiam iam præclaris monumentis viri, ævi sui facile principis, quæ aliter delituissent diutius. Hæc debet nostra ætas diligentiæ nobilis viri nostratis & JCti, Vincentii Badelini, cujus gratam memoriam eadem ipsius nota ad calcem apposita transcribentes, libenter posteritati commendamus.

Illustrissimo Fabricio Carretto Rhodio Magistro

Miraculum hic Romæ, Numen ceteris, hostibus fulmen!
Deorum alta providentia
enim
Mare subito latrocinijs purgavit,
Rhodiæ Civitatis speculum
Specula salutis fortitudinis ac militiæ
proprium exemplum.
Qui depulsa obsidione arctissima infana,
Pater Statorve Crociatorum
dictus est
Quumque ob fidem constantiamque nonnullorum confractam
Deum infensum mortalium vitiis
sentiret,
Gravia uti averteret placaretve,
absteria primum intus
peregrina labe,
Exciente Superum Senatu,
Ingenti luctu ac superstitum desiderio

S Astris

(a) *Diploma Hugon. & Lothar. de VIII. Id. Febr. Anno 938. Papiæ ap. Guichenon Biblioth. Sebus. Cent. I cap. LXXXIII. Privileg. Berengarii & Adalberti Reg. Ital. d. 23 Martii 950. de quo Sansovin. Orig. delle Famigl. Illustr. p. 200* (b) *Vid. Murator. Antichità Estens. P. I Tab. 1 & cap. XI cap. XVII cap. XVIII & cap. XXVI.* (c) *Inserta operi autographo adversariorum Constantis Barbæ, filii Bernhardi, Vice-Comitis Finarii pro Alphonso II. in quibus memoriæ variæ continentur Marchionum Carrettensium Finarii.*

Astris illatus,
Nunc, potiore vita,
Perpetuo se gaudio miscet.
Vix. LXXII. ⊖ MDXX.

Illustrissimo Carolo Dominico-Carretto, Cardinali
Tit. Sanctæ Cæciliæ
Hujus Saxonica Imperatoriaque apogonia:
cui, dum obscura;
Tamen ab ingenio sano, pectore firmo, eloquentia subacta,
Tot Legationibus inter Ludovicum XII. & Pontificem,
Tutius lumen accessit:
Nil ut suis
Neque Religionis fœnore, aut erga Principes fide,
Neque hospitii jure ædificandique studio
Addendum reliquerit.
Vices denique Regias
Pro Gallo
Italicis divortiis ac bellis
Laudabilia memoria gessit,
ad plausum omnium
Immortalitati consecravit.
⊖ Romæ MDXLIV. Sep. in D. Cæciliæ

Illustrissimo. Alphonso I. Carretto
Marchioni Finarii
Tanta
in Divi Maximiliani I. rebus arduis
Hujus ardor Herois fidesque,
Secundum cælestium amorem, &, quam maximi tuebatur, reverentiam,
Evaluit fulsitque,
Ut cum eo
minas, justam flammam, armaque per Italiam
Fortitudine consiliisve circumferens,
inimicos septos passim ruperit ac fregerit.
Nil decoctione vindictæ:
Corsos alienatos distractosque
ad Genuæ servitutem redegerit.
Quibus Cæsar adductus,
egregiis eundem dignitatibus extulit,
Bona stabilivit,
Vicariatus Imperii Perpetui titulo
denique nobilitavit.
Tandem nonnihil ad requietem secedens,
Finariæ suæ
Molem plusquam Hadriani
cum admirandæ turris obelo absolvit,
Longiore dignus vita ⊖

Illustris.

Illustrissimo Joanni Carretto, Patri Alphonsi II. Marchioni Finarii

Alta in hoc exquisito Heroe militari peritia
Propulsandaque exercito Principe,
Statum invicti animi signa se se prodidere,
Ipsamque ad spectabile os
Frontis majestas præferebat.
Qui ad iram justam suscitatus,
Haud se temere sæviorem præbuit.
CAROLUM V.
Insolenti nobilitatis comitatu splendoreque secutus,
Cunctis se magnanimum,
Sui Ordinis Principibus familiarem, militibus strenuum
declaravit.
Et re
Ab CAROLO V.
Clementiæ documentis insignibus ornatus,
Goletam ac Tunetum circumventus,
ita se infensum infestumque in afros gessit,
eos denique ursit pressit fatigavit.
At postremo
Ad Altabellæ montem
Tot fulminibus ab eodem tormento ictus,
Correptum mox deportatus,
Omni pietate contestata
Laxatis obstrictisque odiis
Tenebras cum luce permutavit,
Inque D. Catharinæ gentili Conditorio
Finariæ sepultus fit - -

Illustrissimo Marco Antonio Carretto ab Auria, Principi Melphitano

Hic ab Neptuno illo Auria,
Maris terrore Turcarumque flagello,
Filii loco addictus,
Terra marique
Senis virtutes simul assumpsit societate.
Ad Coronam, Methonem, Naupactum præda,
Græcisve Neapolim translatis
nomen ac laudem obtinuit.
Sua præsentia Tunetum divexavit,
Gallis in Neapolis servitutem insidias detexit.
Subita classe ut venit viditque,
Omnem metum vicit & abstersit.
Quumque ornamentis eundem pluribus CAROLUS V. auxisset,
Tum Melphitano Principatu
Subditorum effusa lætitia
extulit.

S a   Andrea

Andrea post Auria extincto,
Viribus ejus iridenteque
Pelagi monstra rexit.
Inde triremibus & ore maritimæ a Philippo præfectus
Cuncta, Sole invicto Comite,
Feliciter prudenter fortiterque
accuravit.
Dum capite sibi nimium infesto conflictatur,
otioque non otioso comprehensus
Heic absque mascula prole decessit
☉

Rolando Carretto, Episcopo Gallectæ, Archi-Episcopo Aventonen.
In quem
Summi quatuor Pontifices oculos defixerant,
Omnes tantopere coluere,
Numquid non ipse apicem Romanum,
Si superesse diutius licuisset, consequebatur?
Doctrinam, si cælestem Philosophiam, eloquentiam:
in tutandis aliorum thesauris societve,
domi viribus, fœderibus foris,
Constantiam fidemque æstimes,
Non majores facios
Non subsellia Sophistarum Ciceronem,
Non Argum, non Curtios Horatiosque spectaris.
Si puritatem, solamque in desertis victus rationem,
Quem hujus posueris?
Tantus virtutum cumulus,
Dignitatis non ita adfectæ
vix sufficere,
Nisi cœlum sibi, tempestivum suis, affectans,
Eodem ad præmia exciens,
Cineres hoc loco exuerit,
Jam pristinæ menti felicius reddat
☉ MDXXVIII. Ætat. LI.

Ego V. Badehmus elogia, heroicaque supra, ne perirent, eo quo potui studio curavi. Elpes, quas facile assequimur, & in quibus emicat elogiorum styli venustas ac majestas, cuique pro marte supplendas relinquam, ubi ultimæ periodi postremi hujus interpretationem adjuvando prævero. Sic ergo putem exponi debere: *Tantus virtutum cumulus & dignitatis non ita adfectæ vix sufficere*, græcismum non muto, *nisi*, quandoquidem *affectans sibi cælum, tempestivum suis, eodem evocatus ad præmia cineres hoc loco exuerit, jam pristinæ menti felicius reddat.*

TABU-

TABULÆ GENEALOGICÆ
GENTIS CARRETTENSIS
ET
MARCHIONUM SAVONÆ FINARII CLAVEXANÆ, &c.
A
WITHIKINDO MAGNO STIPITE
PER
ALERAMUM SAXONEM COMITEM & MARCHIONEM
AD NOSTRA USQUE TEMPORA
PROPAGATÆ.

Omnia indicatis Documentorum authenticis, Historiographorum relationibus, actibusque publicis passim confirmantur.

SYLLABUS
TABULARUM, & LINEARUM
Quas unaquæque continet.

75

TABULÆ VII. GENEALOGICÆ APPENDIX,

Seu Continuatio Successionis Marchionum de Carretto Tertieni de Millesimo in Bohemiam propagati.

STEPHANUS I Nicolai F *vid Tab. VII* Comes Millesimi *Testamentum 1664 sub Litt. R 20 in lib coloris Olivar 2* Uxor Magdalena Wenceslai Kostomlatsky Weresowitz F.

SILVIA CATHARINA Comes de Millesimo, Domina in Lovositz, & Kost, nupsit primum Comiti Czernin de Chudenitz, deinde Leopoldo Wilhelmo Marchioni Badensi, reliquitque familiæ Comitum de Carretto de Millesimo fideicom. flor. 100000 *in Testam. anno* 1664.

CAROLUS LEOPOLDUS Comes de Millesimo, Toparcha in Setsch, Vilimov, & Gens, S. C. M. Cubicularius, incola Regni Bohemiæ 1657 *Satisdatio Tutor sub Litt. R 8 in eodem libr. coloris Olivar. & altera de 13. Januar 1690 P 13 in Libro coloris citrini 4.*

ESTERA MAGDALENA Comes de Millesimo ex Testam. 1664. Caelebs †

STEPHANUS II Francisca Hiserliana de Hodau, prima sæpe conjuge natus *Testamentum 1669 sub Litt. A 8. in Libro coloris Olivar 4.* Caelebs †

CÆSAR eadem Francisca natus *Satisdatio tutor sub Litt. B 8.* Caelebs †

WENCESLAUS FERDINANDUS ead Francisca natus, Toparcha in Vilimov. *Aditio Hæredit. 17 May 1690 B 24. in Libro coloris Caeruleo-aurei 2* Uxor Maria Elisabetha Baro Kastosch de Zubrzi & Lipka *Testam. anno 1713. N 13 in Libro coloris aurei 6.*

SILVIA eadem Francisca nata *ex testam. de Testam. 1669 Adr 81. in Lib. coloris olivarum 4.* Caelebs †

LEOPOLDINA ead. Francisca nata *Testamentum 22. Junii 1706 F 8 in Lib. coloris aurei 4.* Caelebs. †

ELISABETH eadem Francisca nata *Testam. 22 Febr. 1695. E 18 in libro coloris electrini 6.* Caelebs. †

ANTONIA, eadem Francisca nata *Satisdatio tutor sub Litt. B 3.* Caelebs. †

JOANNES BERNARDUS, Joanna Eusebia Comite de Saar Floriani Comitis F & vidua Sigismundi Mislik, altera conjuge natus *1666. Decalo 1669. J. 1. coloris Capilla* Toparcha in Nemischl Uxor Joan Theresia Hrobczizkiana de Hrobczicz, vidua Adalberti Femelhimon de Franenfeldt *Testam. 1713 N 13 in Libro coloris aurei 6 Aditio Hæred 1724 9 Mart sub Litt. L 12 in Lib. coloris caeruleo-aurei*

JOANNES JOSEPHUS ead Joanna Eusebia natus, Toparcha in Mieschitz S. C. M. Appellationum Consiliarius in Regno Bohem. *Satisdatio tutor 30. Oct. 1716 O 8 in Lib. coloris russei 3.* Uxor Antonia Francisca L. B. Planosky de Seeberg *Testam. anno 1713. N 13 in Lib. coloris aurei 6*

JOANNES IGNATIUS ead. Joan. Eusebia natus, Toparcha in Pravonin Uxor Catharina Kulhaniana de Sernfelds, vidua Baronis Hiserle de Hodau *Satisdatio tutor 31 Mart 1700. Q. 2. in libro coloris argentei 4.*

JOSEPHA ead Joan. Eusebia nata, *Instr. Transactionis 27. Jul 1690. R 15 in Lib. coloris lilii albi 3.* nupsit Joanni Paullo L. B. de Polschitz & Wesentz.

MARIA JOSEPHA Monialis Ordinis S. Dominici ad S. Annam *Instr. Transactionis 21 Martii 1721 F 16 in Lib. coloris caeruleo-aurei*

IGNATIUS WENCESLAUS Toparcha in Vilimov & Moravam. *Aditio Hæred. 25 Martii 1728 A 26. in Lib. coloris caeruleo-aurei 4* Uxor Dorothea L. B. de Vernier

ANTONIUS *Aditio Hæredit. 25 May & 11 Jun 1728 A 26. & A 27 in Libr. color. caeruleo-aurei 4.* Uxor Catharina Dobrzenskiana de Dobrzenitz *Satisdatio tutor 26. Octobr 1728 D 18 in Libro coloris caelestis 4.*

FRANCISCUS WENCESLAUS Toparcha in Nemischl *Aditio Hæred 9 Martii 1724 L 12 in Libro coloris caeruleo-aurei 3* Uxor Marianna Comes Des Fours de Mons & Athienville.

ANTONIA *Aditio Hæred. in 1724 sub Litt. L 12 in Libro coloris caeruleo-aurei*

JOANNES WENCESLAUS Toparcha in Kradas Rzeczitz & Budislau S. R. M. Cubicularius *Satisdatio tutor de 30. Octobr 1716. O 8 in Libr. coloris Russei 3.* Uxor Maria Eleon. Comes Korzensky de Tereschau Domina in Horzezitz.

ANTONIA JOSEPHA *Cessio tutoria 30 Oct 1716. O 8 in Lib. coloris russei 3* nupsit Michaeli L. Baroni Tegerzowski de Fiafeld

MARIA ELISAB. *Satisdatio tutor 30. Octobris 1716 O 8 in Libro coloris russei 3* nupsit Josepho Kfel les equiti de Sachsen Grün

JOANNES IGNAT. *Satisdatio tutor 14. Decemb 1728 D 19 in Libro coloris caelestis 4 Aditio Hæred. 9 Martii 1724. L 12 in Libro coloris caeruleo-aurei* Uxor Eleon. Bar. de Praschenfelds

ANNA BARBARA. *Aditio Hæred 12 Jul 1728 A 27 in Libro coloris caeruleo-aurei 4.*

JOSEPHA.

ELISABETH *Satisdatio tutor 26 Octob 1728 D 18 in Lib. color. caelestis 4.*

CATHARINA *ead. Satisdatio tutor de 26 Oct. 1728*

JOANNES JOSEPHUS.

JOANNES PHILIPPUS.

Tabula hac, ne ceterorum ordo perverteretur, instar Appendicis hoc loco inserenda fuit, quia tardius ad nos delata est, et cum fuerit expectata, neque invito putabamus tempore propagatam hanc lineam, ut se sola pagina sequeretur. Recognovimus eam illam ipsam, & pace humanissimi, qui nobis eam communicavit, mentionemque retinemus Joannis Rambofskij Regii Registratoris jurati per Regnum Bohemiæ, qui nobis de singulis his gradibus & personis documentaque, quibus probantur, programmatis sigilloque testatus est Pragæ 15 Julii 1741

TABULA I. GENEALOGICA,

Qua Stemma Withikindeum ad filios usque Alerami exhibetur, ex Elia Reusnero excerpta illustrata & emendata.

WITHIKINDUS MAGNUS, alias LUITGERUS *Rex Saxonum*, Dux Angariæ, Princeps Rugiæ, & Dynasta Ilenburgi, *floruit* anno 776 *obiit* anno 807.

WIGBERTUS, seu WILBERTUS, ex Geva Siffridi sive Gotrici Regis Daniæ natus, Dux Saxoniæ, & Angriæ † 825 Uxor ejus Sindacilla Radbobi Frisiæ Ducis neptis, ex qua orti sunt.

HASALA, eadem Geva nata, Bernonis Dynastæ Ballenstedii Uxor

WITHIKINDUS II ex Suatana seu Suaterna, Zechii Ducis Bohemorum in Bohemia Principis natus, conditor Comitum Wethini, cui ex Juliana sive Nilada, Theodorici Comitis Ruchticensis ad Muldam, nati sunt

Hujus nomen in Monudalls non videbatur nobis visum est.

BRUNO Dux Saxoniæ, duxit lineam D. Ottonis Magni, & Henrici Aucupis, *ut in hujus Tab. I. parte altera.*

WALBERTUS primus Comes Ringelheimensis, *floruit* 846. † 856. ejus uxor Altburga sive Adelburga, Comitis de Lesmona filia unica, unde Comites Altemburgiorum

THEODORICUS I Ringelheimensis & Altenburgius Comes Uxor Reinhildis Comes Mersburgensis.

DIETERICUS Comes Wethini, Burggravius Zorbecæ, & Dominus Budfeste, unde Marchiones Misniæ, Landsbergæ & Lusatiæ.

FRIDERICUS Burggravius Zorbecæ, *oppressus* 876.

WITHIKINDUS III. Regum Galliæ Capetorum Progenitor.

REGINOBERTUS, sive REGENBERTUS, Dux Angrivariæ & Westph. Comes Ringelheimius, a quo Comites Oldenburgii, unde moderni Reges Daniæ & Norwegiæ, Duces itidem Slesvigiæ & Holsatiæ, *floruit* anno 900.

THEODORICUS II Comes Ringelheimensis & Altemburgius, nobilis Dynasta in Saxonia.

WITHIKINDUS IV sive GUIDO, *vid. Monudall. p. 9. § Hic Withikindus dr. fuit* Stipes Marchionum Vasti & Montisferrati, *floruit* 913 Uxores Jutha Dux Burgundiæ, & Archisa, sive Aichisa, incompertæ adhuc originis. *Chron. Sangiorg. p. 9.* Unde

HUMBERTUS Intimotus, sive Amedeus, a quo Comites & Duces Regiæ Sabaudiæ Domus

WILHELMUS, seu Gulhelmus, Archisius & Aichisius a matre dictus, *ut ex Donat. Abbatiæ Grazani 923. ap. Sangiorg.* ejus uxor Helena Comes a Scherm. *Henning. Theatr. Genealog. Tom. IV. p. 1498.*

Dederam hanc quidem in Monudall. uxorem Helenam Datem Normanniæ, secutus Reusnerum, quem suspicabar unum gradum cum altero confudisse; sed jam animadverto pruius illum omisisse, ideoque fuisse non nisi adamo Gulielmo II. Alerami F.

ALERAMUS, ALEDRAMUS, ALRAMUS &c. Comes & Marchio, *ut ex donatione Curtis fori 932 Regum Hugonis & Lotharii, & ex altera Abbatiæ Grazani ap. Sangiorg. ann. 952. Investi D. Ottonis I. 967. Rat. an. X. h. Apr.* Privileg. Berengar. & Adalberti Regg. Ital. 950 vid. Manud. p. 21 §. Accuratius

GUILIELMUS ex Adel. | OTTO, ex ea | ANSELMUS, ex eadem Adelheide Ottonis | BONIFACIUS Marchio Bosci, Gavii, Ocimiani, Ponzoni & Incisæ &c. ex Gelberga Berengarii II Re- | GUILIELMUS Marchio Montisferrati, eadem Gelberga Berengarii II nata

TABULÆ I. GENEALOGICÆ

Quæ Stemma Withikindeum exhibet, ad Originem Adel[...]

Bruno Wigberti F. Withikindi M[...] N. Dux Saxoniæ, Angriæ, Westphaliæ, obiit anno 843

Ludolphus, Magnus Dux Saxoniæ, ex [...] aaa sive Susana Wolfardi Comit. Monsferrii & Rotenfani natus, *floruit* 8[..], † 855 vel 859. Uxor Oda Willigisi [...] cis Orientalis Franciæ

Bruno Magnus Dux Saxoniæ floruit 861 † 876. vel 880.

Otto Magnus Dux Saxoniæ Ang. & Westph. Comes Hassiæ & Turin., *floruit* 904 † 912 vel 916. cui ex [...] da Arnolphi Imp. orti sunt.

Henricus I *Auceps* Dux Saxoniæ Ang. Westph. Thuringiæ, Dominus Brunsvigæ & Luneburgi, *floruit* anno 919. † 936

[...], sive Dancomarus, ex Hat[...] Comitis Mersburgi na[...] Turingiæ, confoditur 937

Otto Magnus II. Dux Saxon. & I. Imperator ex Mechtilde Theodorici Comitis Ringelsheimensis natus, *floruit* 936. † 973.

[...]dolphus, Editha natus, a [...]quo Duces Sueviæ & Carinthiæ † 957.

Gullielmus Editha ortus, Archi-Episcopus Moguntinus, *electus* 954 † 968. quem male Reusnerus ex Concubina susceptum posuit

Luidgardis Editha nata, nupsit Conrado Sapienti, Duci Franciæ & Lotharingiæ † 997

Mechtildis Editha nata, Abbatissa Quedlinburgica † 997

Henricus primogenitus ex Adelheide Rudolphi Regis Burgundiæ, vidua Lotharii Regis Italiæ, immature mortuus.

Bruno exced. Adelheidis, infans extinctus

Otto II. Imp. Magnus Dux S[...] Adelheide [...] *floruit* an. 961 [...] uxor Theopha[...] nata Junior [...] [...] Imp. Constan[...] [...]

[...]tto Dux Sueviæ † [9]82 uxor Himeltrudis Sigfridi Lotharingiæ Ducis filia unica.

Mechtildis nata 949

[...]

Cuno sive **Conradus** Dux Carinthiæ † 1012.

Bruno Episcopus Vercensis, postea *Gregorius V.* Summus Pontifex † 998.

Henricus Sueviæ Princeps

Otto Imp. IV. [...]

...OGICÆ PARS ALTERA,

...nem Adelheidis primæ Conjugis Alerami ordinata.

...r & ..., ..dgar-	Ecbertus Dynasta & Marchio Herciciæ, *floruit* 881.	Tanquardus sive Dancomarus, Dux Saxoniæ, *floruit* 861 † cum fratre Brunone 876 vel 880	Liudgarda uxor Ludovici IV Imp.	P... nupsit Conrado I. Imp	Hed... prim... batis... dersh...
Angar... ...sigæ ...36.	Ludolphus, Dancomarus ambo patri præmortui.	Liudgarda Abbatissa Gandersheimia IV.	Richardis uxor Leopoldi Marchionis Austriæ.	Baba uxor Henrici Palatini Comitis Franconiæ.	
...ator ...Ruin ...973.	Henricus *Rixosus*, Mechilde Theodorici Comitis Ringelheimensis natus, a quo Duces Bavariæ † 955. Henricus *Hezelo*, Dux Saxoniæ & Bavariæ † 995 uxor Gisela Conradi Regis Burgundiæ	Bruno Mechtilde Theodorici Comitis Ringelheimensis natus, Archi-Episcopus Coloniensis, *floruit* 959. † 965	Gerburgis, Mechtilde nata, nupsit primum Giselberto Lotharingiæ & Belgii Duci, deinde Ludovico Transmarino Regi Galliæ.	Hedwigis seu Adelheidis, Mechtilde nata, uxor Hugonis Magni, Parisiorum Comitis, mater Hugonis Capeti.	
	Henricus II Imperator † 1024.	Bruno Episcopus Augustanus † 1027	Gisela uxor Stephani Regis Hungar. † 1038	Gerberga Abbatissa Chiemensis.	Sophi... tissa ... bo...
...o II Imp. & III. Magnus Dux Sax. ex Adelheide susceptus *...it* an 961 † 983 uxor Theophania Romano Juniore nata, virgina Nicephori Imp. Constantinop... de		Sophia Abbatissa Paderbornia, ex Adelheide suscepta.	Richenzis sive R... Comitis Oenin... tium, Adelhei...		

Otto III. Imp. & IV Magnus Dux Saxoniæ † 1002.	Hugo. †	Adelheidis Abbatissa Quedlinburgica *floruit* 990.	Sophia Abbatissa Gandersheimensis † 1038	Vitheldis uxor Theodorici III. Comitis Hollandiæ, ex secunda Ottonis II Conjuge Marchione Austriæ suscepta.	Mechtildis Ezelino sive Ehrenfrido, Pa... Rheni, cu... Richsam, Poloniæ uxorem nupsit Go... Barbato D... tharingiæ, ... chione An... scepta

Otto Marchio de Carretto, sicse inscribit in vetustis docum. ap. de Turre loc. R. p. 72. & seqq. de hoc vid. Tab. III.

Henricus II de Carretto Marchio Savonæ. Hunc declarant istæ documenta ap. de Turre loc. T. & lib. II vid. Tab. IV.

Isabella quæ nupsit Henrico Hugonis F. Marchioni ... Charta datalis 1191 de qua Fridoric. de Fridor. in Rat. Famil. ... Lig.

Ambrosius Savonensis Episcopus creatus 1183. † 1192 Ughell. Ital. Sac. Tom. IV col. 774 & 776 add. Frideric. de Frid. loc. cit.

[illegible] Savonensis Episcopus ... 1193 ... 1215 vid. Ughell. l. cit. & de Frider. loc. cit. quo ... Mona... p. 42. §. [illegible]

TABULA II. GENEALOGICA,

Seu Successio Marchionum Vasti, & mendose Vaschi, ad Carrettenses usque.

